5

Hic Liber ad usum
Fris D. Michaelis Cl. M.C.
concessus. a. V. Fre D. Professi mpp
Urseolo.

PANEGYRES SACRÆ

REGI ſeculorum immortali
IESV CHRISTO,
REGINÆ Cælorum VIRGINI
MARIÆ.

P.P. Eremitt: Camald: Insulæ Vigrensis.

nec non

Sanctiori Aulæ Divis

DICATÆ.

à

P. LVCA STANISLAO
SŁOWICKI *Soc: JESV.*

CRACOVIÆ.
Typis Nicolai Alexandri Schedel S. R. M.
Ordinar: Typogr: 1705.

FACULTAS
R. P: Provincialis Poloniæ.

CUm Opus, quod inſcribitur SACRÆ PANEGYRES &c. à P. LUCA SŁOWICKI, Noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum, aliquot ejusdem Societatis Noſtræ Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi factâ ab A. R. P. N. THYRSO GONZALEZ præfatæ Societatis Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur, ſi iis, ád quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ has literas manu Noſtra firmatas, Sigilloq; munitás dedimus.

Lublini 27. Septembris. Anno Domini 1703.

STANISLAUS WDZIEMBORSKI *Soc: I.* *mpp.*

JLLVSTRISSIMO
ac
EXCELLENTISSIMO
DOMINO.
D. ALEXANDRO
COMITI
in PIESKOWA SKAŁA
WIELOPOLSKI.
Majorum Gloriæ, & virtutum Hæredi.

REGEM *seculorum immortalem* IESVM CHRISTVM, *Reginam Cœli, terrarumque* MARIAM, *Cœlestem aulam Divos, in pagina Tibi* ILLUSTRISSIME, *ac*

EXCELLENTISSIME COMES exhibeo: ut, quos in animi Regiam admisisti, etiam Domo Tua, quasi Cœlo recipias. Ita libet Familiam WIELOPOLSCIORUM appellare: quia pauciores alibi homines, quàm Domi Vestræ Gradivi, Consi, Mercurii, hoc est Numina, consuetudine, (dicam) necessitate Natalium proveniunt. Domus hæc arctavit Campum Martium Heroibus, Senatoribus Curules, Regni Civibus Poloniam: Palatinas etiam Dignitates pridem exhausisset, si tam pronum illi esset, humeros ad Purpuram proferre, ceu merita. Si Annulos Regni Polonus Honor comportaret, quibus vos æternæ desponsavit Gloriæ; & modios Annibalis, & Historiam excederent; possetisq; Hydaspem ditare Gemmis arcanorum consciis. Si, quos gessistis, Polonæ Aquilæ calamos spectemus: ad cælum

evo-

evolat Vestrum Nomen. Deniq; si Titulos illustres censebimus: pauciora humero Atlantis sidera, quàm Domui WIELOPOLSCIORUM, *serenitates innituntur. Non ibo per singulos ut titulos, ita* MAIORES TUOS EXCELLENTISSIME COMES, *cùm ultra numerum sint, & calamum. Sufficiet ad gloriam* ILLUSTRISSIMUS AVUS TUUS, IOANNES WIELOPOLSKI, *Cancellarius Regni, hoc est IOANNIS* III. *vox, & Oraculum, Poloni Alexandri Ephestio: cujus Annulo, ne sua deesset Gemma, etiam hanc* REX POTENTISSIMUS *inseruit, cùm* MARIAM ANNAM MARCHIONISSAM *de* ARQUIAN, AUGUSTÆ *nostræ, id est Gratiarum Sororem, Sanguinis simul, & Gloriæ junxit Connubio. Quantus autem à Latere* IOANNIS *nostri ibat in Gallias Legatus! Sic iturus erat Mercuri-*

us pro Iove Orator, Cyneas pro Pyrrho, pro Latio Fabricius, nisi tempore præivißent. Audivit perorantem LUDOVICUS XIV. *& ipsam Poloniæ* Majestatem *loqui credidit: Regale supercilium ex illius Fronte, ex vultu Faciem Patriæ spectavit. Ibit hoc in Orbem, quod jam paßim jactat Francia, se de* WIELOPOLSCIORUM *Facie, Reges nôße, Majestates Polonas vidiße. At* TUUM ILLUSTRISSIME, *& (nisi fata vitæ pariter, ac honoris filum præcidißent) Patriæ Patrem, ex Te, seu solem ex radio, metimur. Ingens profectò Vir qui tantùm* ALEXANDROS *pareret. Quæ verò ex Illustrißimo Patruo* FRANCISCO WIELOPOLSKI, *gloria Te circumsistit? Generalis est Minoris Poloniæ, olim summarum dignitatum Generalißimus, & Universitas quædam futurus, ibit per fastigia*

gia

gia Patriæ, per trabeas, per Senatum. Parat jam vittas Polonia, pingit purpuras Honor, ut FRANCISCI *vulnera, Trajani more, ostro involvat. Iam si* CELSISSIMÆ Parentis Principis in Wiśnicz, & Iarosław, *Genus, Titulos, & aucta consanguineis Nominibus insignia recenseam; tota in paginã, & Vestrã Gloriam deducenda esset Polonia*, DOMUS LUBOMIRSCIORUM, *quædam Familiarum est Epitome. Hic se* Ligezæ, Potocii, Iabłonowscii, Stadnicii, *& tantùm non integra in* Celsissima Principe in Ostrog *ac* Serenissimo Principe Neoburgico *Europa, (quantus Magnorum Nominũ Exercitus, Ducum, & Principum Senatus, Heroum Castra!) nullo magnitudinis detrimento, reperiet. Veniret etiam uterq; Orbis, par magnitudini suæ hospitium apud*

Lubo-

LUBOMIRSCIOS *haberet. Compendio rem absolvam. Quicunq; ad Purpuræ honorem rubet Sanguis in Lechia, intra* Srzeniavã *fluit. Nulla trabea Curiam ornat, quam Fluvius hic purpurarum non tinxerit. Nulla in Reipublicæ Corpore vena, intra quã Sanguis* LUBOMIRSCIANUS *non currat. Auget Domûs amplitudinem* ILLUSTRISSIMUS *Castellanus Cracoviensis, Frons Senatûs, Dux Exercituum pariter, atq; maximorum in Republica titulorum. Nullum seu inter Honoris Fastos, seu in Martis clypeo, majus Nomen, inscriptũ* Gloriæ *reperias, quàm* HIERONYMI. *Imperator est, sub cujus clava, Gradivus ipse mereri, Victoriæ triumphare vellent. Nec minora ex* Illustrissimis, *Abbate Tynecensi, Castrorum* Regni *Metatore, Capitaneo Periaslaviensi,* Domui Lubo-
mirsci-

mirscianæ *ornamenta venerunt*: *Ille, fronte, quâ ad Infularum decus eminet, provocat tiaras*: Gemmam *Sacerdotum ambiunt sacri Annuli; Manum eripiunt Scipiones Præsulei: Hi per Heroica facinora, Gloriæ, titulis, Senatui parati; uterq́ẓ* Tuus, Excellẽtissime COMES Avunculus Hector. *Liceat Fortunam quoque Gentis* Sapiehanæ *in elogium vocare. at quâ immortalitatis pompã? Heròes sunt in acie, Duces in Campo, Imperatores in Castris, in Senatu Proceres, ubiq́ẓ optimi, fortissimi, tandem ad quod* Sapiehas *Honor educat, & Gloria. Illorum merita in Patriam, collectumq́ẓ ex bellis nomen, seculis remittimus, in quibus omnia ad æternitatem famæ conspirârunt.* Legat *Posteritas, fuisse Homines, qui omnem Marti lauream, titulos Honori eripuerunt, utrumq́ẓ*

tamen

tamen infra magnitudinem merito-rum. Tanta Patriæ, & Familiæ decora debet plurimùm Poloniæ Illustrissimæ CHRISTinæ *de Kopciis* SAPIEHæ, *Palatinæ Vilnensi*, Tuæ Excellentissime COMES, *Proaviæ. Digna profectò, quæ, ut multo virtutum apparatu, laudes priscarum Heroidum, ità ætates longè transgressa, nunc etiam ultra* 70. *partim Nepotes, partim Pronepotes videat, atque una in Familia* Sapieharum, Chodkiewicios, Lubomirscios, *Duces* Sanguszcios, Wielopolscios, Grudzinscios, Lipscios: *per Nepotes, & Neptes*, Radivilios, Branicios, Dambscios, Dębinscios, *totam Poloniam accenseat. Illustrissima sanè Domus, quam tot Prosapiarum Ceræ, ad prodigium splendoris, accendunt. Templum etiam Honoris, non plures per Atrium*

Ima.

Imagines, & *Augusta Nomina*, *multis stemmatum illigata flexuris*, *disposuit*. *Vtriusq; Sanguinis*, & *Gloriæ Tuæ*, COMES Illustrissime, *pars magna est*, PARENS Celsissima ANNA CONSTANTIA de Lubomirsciis MAŁACHOWSKA. *Princeps est*, *cui Francorum Blanchæ*, *puritatem Gallicis Liliis supparem*; *Polonorum Bonæ etiam nomen suum*: *Romanæ Lucretiæ*, *ingentes animos cederent*. *Virtutibus compensat sexum animus planè virilis*: *unoq; pectore* (*tam vastum est!*) *spirat*, *quidquid virtutis vocabulum conclusit*. *Ita Principem vultum infra summam fortunam dejicit mansuetudo*, *ut in solo nonnisi titulo sit* Celsissima. *ita solida pietas firmavit animum*, *ut facilè conjicias*, CONSTANTIAM *esse*. *Liberalitati illius* (*reliqua* & *Orbi notissima*,

&

& paucis hisce literis majora sunt) quæ non elogia de lachrymis egenorum absterſis, enatabunt? ſubit palatium indigentia? admittitur in Domum ſimul, & in animum. Exit deinde inter ridentes lachrymas, quaſi orbitatem in ſinu PRINCIPIS *reliquiſſet. Quodſi aliquando in publicum ſe profert* Parens Tua Celſisſima: *Pactolum ire credimus in* Srzeniawa: *ita omnia inaurat munificentiâ, & pretium facit indigentium calamitati. Confutavit jam mendaces Pöetarum fabulas, & ternum Gratiarum numerum augendo liberalitate, probavit, non ita in virginum chorum relatas eſſe Gratias, ut plures non poſſint parere. Ingenium poſt virtutes recenſeam? tale Minerva, Prudentiæ Numen, habuiſſe fingitur. Digna Muſarum choro Princeps Celſiſſima, niſi quòd*

hæ

hæ intra figmenta tantùm sapuèrint. Nunc Polono, *nunc* Latino, *aliàs* Gallico, Germanico *aliàs sermone reddit oracula, ut Sibyllas revixisse credamus, illa spirante. Quorsum hæc? ut liqueat* Excellentissime COMES, *Te, non lac tantùm, & gentilem Magnificentiam, sed virtutes etiam, sed altum ex* MATRE Celsissima *ingenium suxisse. Tanta enim, ante annos, in moribus Tibi maturitas, dignitas in ore, in judicio pondus, quasi hæc cum Materno Sanguine in animum se devexissent. Itaq; capaci mente, velut Capitolio, scientias; virtutes pectore, seu Arâ, recepisti. Iactatur passim:* ILLUSTRISSIMUS ALEXANDER, *Parnassum in Pieskowa Skala fundavit: Musas pro Castali, Materno* SRZENIAWÆ *assuefecit: Tullii fontes transfudit cerebro, & vastius adhuc habuit. Perge* CO-

MES

mes Illustrissime; *sic fiet, ut inter Palladis Olivas, inter Laureas Apollinis, brevì Nidum Honorum Polonæ insternant Aquilæ. Interim, ut virtuti, & literis faves, ita Divorum, & simul Tuas Panegyres amabis. Ego verò apud* REGEM *seculorum immortalem, ætati Tuæ, ad Aras secula precabor.*

ILLVSTRISSIMO
&
EXCELLENTISSIMO
NOMINI TVO

Devotissimus

LUCAS STANISLAUS
SŁOWICKI *Soci IESV.*

PARS
PRIMA

Orationum Syllabus
PARTIS PRIMÆ.

ORATIO PRIMA.

Infantia DEI Hominis à Regibus adorata.

SI Principes sunt regnorum coronæ, pariter si coronarum gemmæ sunt virtutes Imperantium: nemò Regum illustriùs emicuit, quàm Melchior, quàm Gaspar, Balthasarq; ; vtiq; proventu virtutum juxta, ac opum, locupletissimi. Quantum enim auri, argenti, gemmarum, & quidquid pretiosè, aut tellus concipit, aut flumina despumant, fortuna accumulaverat; tantundem pietatis, quæ sola Principes, si non plebeio gradu incedit, à vulgo discernit plusquam diademata, regali animo condebatur. Imò non regaliter probi videbantur sibi, nisi virtutes ultra ærarium provenissent. Et poterant tantum imponere potestati regiæ, atq; (vt animus fortis, quæcunq; voluit, imperavit sibi) tantum exigere à se augustæ mentes; quantum nec vectigalium imposuere populis: vt constaret optimos Principes magnificentiùs regna sûi, quàm terrarum occupasse. Si ita se res habeat, næ ego frivolus sum, dum Regius Orator esse cupio. Nam si vnius acta stylo attollere, impar, &

imbecillis nequit oratio; cùm verò divisam, in tres vtiq; summos Principes laudationem intelligitis, an non omnem in primo conatu, veluti in cunis facultatem fatear præfocari, pæne interire? Faciam tamen, quod Syracusius ille senex (Archimedem vocant) qui primus ingenio, & fictili globo vastissimam amplexus est cæli molem, in quam arte * *jura poli, rerumq; fidem, legesq; Deorum transtulit*, tum solis, lunæq; vias, totum deinceps mundum æmula naturæ manus versavit, veluti quoddam Numen. Pariter ego sapientiam diademate ornatam, trabeatam religionem, auctam ex humili majestatem, serenitatem ex obscuro collectam, cætera virtutum regiarum prodigia, tanquam gemmas regalis coronæ, tenui stylo, impexâq; suadâ, & prorsus non regio paratu exhibebo, si magne Auditor auram afflabis.

Primas equidem religio tenet inter omnia virtutum, etiam regiarum decora; perinde atq; sol inter astra; eò, quòd religione regna constent, sitq; velut clavus, quo Reipublicæ salus, populorum integritas, tutela imperij gubernatur, aut quasi anchora, quæ castigatam ventis, & actam in præcipitia carinam tenet; sola pariter tantùm

cæ-

* Claudianus.

cæteris virtutibus eminet religio, quantùm populis Reges. Nihilominus ducit agmen Regina mentium, regnorum, & Regum moderatrix, non barbari dominatûs adminiculum, decusq; ſapientia. Quid enim tam regium eſt, quàm efferri ſupra capita vulgi, non tam externo capitis cultu, quàm interno mentis, cùmq; exercitus ſatellitum auguſtum obſidet latus, & per aditus laticlaviorum numeroſæ vigilant excubiæ, literas quoq; excepiſſe animo, aulicas feciſſe Muſas, ſapientiam regiâ donâſſe? An enim pannoſa, & tantùm ſacro horrore ſqualida, triſti fronte, exſangui vultu, facie philoſophica incedat ſapientia? tantùmne doliari cum Philoſopho, cum illo, inquam, ridiculo domiporta tectum verſatile colat? At Divinæ mentis partus eſt: ergo ſubeat ædes palatinas, ergo faſtigia Principum invadat, quos Deorum neceſſarios aſſentatio quidem fecit, ſed vera curarum communio in divinitatis conſortia tranſcripſit. Quod cùm ita ſe habeat, quo vos nomine conſecrem ô Reges, qui vltra coronas, plus in capite ferebatis! Etenim repere cum populis videbamini vobis, etſi vertices exſurgerent coronis, niſi vltra populos ſeſe proferret eruditio, veſtrisq; in regnis regnum Muſis adſtrueretis. Quanquam & gentium, quas

regiones illæ educant, hæc indoles fuit, vt detrectarent capiti ſubeſſe, quod non priùs coronaret ſapientia, quàm diadema. Nimirum aſtris dedita gens reputabat, eos male dominari in terris, qui cælum ignorarent, nec è publica vtilitate regnare, qui ſideribus non aſſueverint. Certè non ex æquo fortibus imperavit ignavia: pariter iniquum ducitur, ſi in regno ſapientûm ad clavum ſedeat ruditas trabeata. An enim Principes tantùm evertant mundum? & tunc auguſtiſſimè imperare exiſtimentur, ſi terras, ſi flumina, ſi oceanum cruore hominum, quaſi non humano ſic inficiant, vt undarum nomina in tabo mergantur, omniaq; in regna ſanguis effundatur? Plus eſt vacare cælo, & cum aſtris morari; quinimo iſtud eſt in divini operis communionem tranſire, ac veluti partiri negotia cum rerum auctore. Itaq; à cælo ipſo ſpiritum cæleſtem, quia traxerat Majeſtas hæc, vivebat cælo. Nimirum à curis terrarum recipiebant ſe ad cæli cogitationes; cùmq; populos baſilico nutu, imperio, conſilijs, providentia, direxiſſent, in ſtellas, veluti in ſubjectum ſibi vulgus arbitria vertebant. Hic enimverò ſolium inter, ac ſolem cæloſq; conſtituti, ſic curas diſpenſàvere, vt nec in terris errarent, dum mens ſublimior perva-

ga-

garetur aſtra, nec à ſupernis deſciſceret ſtudium, quando mortalium ſaluti advigilabat ſolertia. Interdum, quaſi toto animo è terris exceſſiſſent, ita omnis induſtria ſudabat, ne non cæleſtis foret. Orbes itaq; æthereos mente verſare, dare nomina aſtris, vias ignium æternorum deſcribere, plusquam regius labor videbatur. Sed malè cælis occupamur, ſi mens ab eorum conditore dilabitur, atq; ita aut fixis ſideribus animũ affigit, aut cum erraticis per ſtellatam regionem exſpatiatur, vt nihil ijs melius, pulchriusq; conſecretur. Pijſſimi Principes in cælo, auctorem cæli legerunt; quia magiſterio ſiderum ad notitiam veri Numinis ſapientia profecit. Neq; enim ſuperſtitioſa non tam ſcientia, quàm delirium regias mentes corruperat, vt ex aſtris arbitria fatorum colligerent, quidve ſerus veheret dies, advocato in conſilium cælo ediſcere, ac tandem promere, vel ad ſpei ludibrium, vel ad irritamnetum formidinis credulæ, & inconſultæ. Quid enim eſt hoc ſacrilegii, cæleſtia, divosq; ſollicitare in patrociniũ erroris? Quidquid vel animus non probè elegit, vel fortuna atrociùs auſa eſt, totum velut ex ineluctabili decreto ſiderum ageretur, credere? Huic naſcenti adfuit Saturnus? in proſperitatem, ſeculaq;

auro laborata, exortus est. Mars illi præluxit? belligerabit. Hunc Mercurius negotiosum in quæstus excepit, aut ad furta initiavit radio maligno? obsequetur sideri natalitio. Illi blanda venus arrisit? voluptatibus fluet. Iupiter alterius vagitum aspexit? astro suo inauguratus est ad imperia terrarum. Sol placidus affulsit? jactabit se olim infans per rerum fastigia, postquam è rudibus annis enatabit. Luna obscurum caput in noctem abdidit? obscuræ sorti, inclementiæ fatorum, iniquis casibus partus editur. Quid deinde? spiritum juxta trahimus ex astris, ac mores, integri sint, sivè profligati. Quin ita orbes illos circumagi persuasum est mobilibus animis, vt mentes etiam humanas evolvant, omniaq; fatali globo versentur; ideò nec fortuna properet ad injuriam, aut favores, nec Numen abscondat rerum semina, decernatve exitus; sed necessitas sideribus impressa disponat fata, quæ viventi, quæ morituro debentur. ô impietatem artis! ô delirium insanientis scientiæ! hoc demum est toto cælo errare, dum mens injuria tam DEO, quàm sideribus, cælum superstitiosè oberrat. Istud est infamare astra, cavillari stellas, DEVM facere otiosum, & plusquam Iovem fulminibus exarmare. Sic in cælo

non

non diviné divinantium verſantur ingenia; quibus aſtra in vicem ſementis tranſiere, unde venalis eruditio lucra metat, aut errores, ſcientiæ fuco illitos quaſi ſapientiam jactet. Sanctiſſimis Regibus & fortuna auguſta indulſerat, & ſuæ fortunæ non diſſimiles animæ obtigerant. Idcirco in eam humilitatem cogitationum, ac dedecora artis fatuæ non poterant præcipitari. Regium erat metas Solis, lunæq; deprehendere liquidas, nec veſtigiis notabiles cæleſtium flammarum vias conſignare, nominibus, & menſuris diſtinguere, ſcire demum, quod ratio humana poteſt conſequi in cælo. Ecce autem dum ſtudioſiùs in cæleſtium contemplatione hærent animi, nova lampas effulgurat. Non ea quidem tam editâ ſtatione ſe locavit, quemadmodum cæteræ; ſed novitium ſidus (hoc enim nomine libet appellare, nuntium hunc igneum, poſtquam Reges vocavêre ſtellā) vt ſe propiùs admoveret infanti, pro cujus divinitate, non tam auribus, quàm oculis, animiſq; loquebatur, àëris intimam regionem, quaſi ſolidum iter ſulcabat. Quis vero ignis ille? quæ fax? nulla ſe objicit laus, quæ ſideris novi dignitatem exprimat. Omni enim cryſtallo, quin aſtro omni nitidiùs emicabat. Ex àëre, ſive vaporibus, quos terra exhalaviſſet

ſol deinde ſubvexiſſet, trahente æſtu, conflabatur; ſed radij criſpabant caput, meliores, quam ſolem. Infra cælum provehebatur; ſed nitoris inſolentia confundebat cæleſtia lumina, tantùm non extinguebat. Fundebat enim lucem, quovis ſidere lætiorem, & pulcherrimæ claritudinis ſpectaculo, neſcio quid inuſitatum ſpondebat purpureis peregrinis. Iam & dierum illecebræ viluerant, cùm rideret miraculum noctis beatiſſimæ. Nunquam ita illuxerat cælum vt tum ardebat àër invitante ad cunas flãmâ. Quid admirer lucis novitatem? naſcente Luminum Patre, vt coævos haberet ſplendores, naſci ſidera oportebat. Non potiùs exclamem! ô plusquam regiam Regum ſapientiam! ô cæleſtem, ac divinam prorſus aſtronomiam! quæ DEVM in terris docuit quærere, invenire, agnoſcere. Credo ego, Auditores, dum novus ignis excandeſceret, & Syrma flammeum latè protenderet, perinde frigidas mentes obriguiſſe, vt ſi Perſeus parmam revelâſſet, monſtroſũq; Gorgonis caput objeciſſet. Fortè alij terrarum everſorem, * *& mutantem regna cometen* ardere, ac ideo funeſtam, inexpiabilem, luctuoſam, funeribus accendi facem, quæ non exhalationibus, ſed humano ſanguine paſcetur:

* *Lucanus l. 1. v. 528.*

retur: naturam alij laborare suspicati sunt. Sed Principes Orientis in novas spes exarsere: quòd constaret, nullas inter astra insidias, ad fata mortalium strui, nihilq; animus fortis, nisi fortunam à cælo sperare didicisset. At quo interprete? equidem sidus hoc, linguam fuisse cælestem didici. sed cælestem, idcirco peregrinam in terris, & citra commercium sermonis humani. Nimirum stella hæc à sede aërea defluxerat in fastigium montis (victorialem vocant) mox Puerum Cruce oneratum referens, atq;, vt erat sine voce loquax, natalem DEI, cunas, locum edixit, præterea viam, & tributa imperavit. Sed stellam, pueri forma indutam, puerile magis, quàm pium est commentum. Cælum loquitur sine crepitaculo vocum, astra pariter ita facunda sunt, vt sine ore, sine strepitu verborum, arcana superûm terris insusurrent. Ergo cum vniversa rerum natura publicæ felicitati prælucere, ac veluti arridere posset; non posset satis vel cælesti lingua bonum suum interpretari, præstitum est, vt stella ad oculos duntaxat, cælum ad animos perorarct. Iam quid attollam: Pietatem vestram Religiosissimi Principes, an fortitudinem? vtramq; fecistis Regiam. Si diademata fronti, lacerto chlamydes, sceptra manibus defuissent,

 solis

ſolis virtutibus noſci poſſetis. Pietatis erat, quòd, ſimul ac conſtitit DEVM vagire in cunis, ſentiret ſe religio, mentesq; auguſtas flammaret cupido viſendi in faſciis Numen: magnanimitatis, quòd nullius terriculamento periculi, etſi innumera ſe objicerent, nec dejici, nec labefactari; at ne percelli quidem potuerit mens invicta. Obverſabantur animis ignoti fines, incerti calles, peregrinæ gentes, viæ longinquitas. Obſtabat alteri ætas laſſata ſenio, alteri teneriores anni, omnib⁹ indulgētia fortunæ, quæ Reges molliùs educaverat. Vniverſa hæc, pietas, & amor ſuperare poterant: majus erat, quòd Principes, ſi vel pedem extra fines imperij figant, vno ſtatim paſſu mille pericula adeant. Faciliùs inopia, eò, quòd nudus ſpoliorum cauſâ appeti non poſſit, terras, & populos peregrino ſole torridos adeat, quàm fortuna Principum. Ferro hi armati, ſive pietate, proferant ſe peregrè; timentur, quaſi non viſerent regna, ſed eriperent. Quando enim peregrina Majeſtas aliò concedit; bella vehere, deferre hoſtem, etiam ſub toga creditur; idcirco ſimul viæ, ſimul vitæ periculo ſe committit. Non latebat ea viciſſitudo animas cæleſtes; ſed contra omnia diſcrimina expeditionem ſibi indixit pia fortitudo. Non

illam

illam Charybdes, non Scylla, non fabulosum monstris fretum deterruisset: natatu ista superasset pietas; nedum navigiis trajecisset.

Et jam Purpurei Viatores excutite formidinem (si quæ angustum pectus oppugnavit) amovete interea majestatem, absolvite vos à terrarum curis, instruite gazas, aptate dromades, properate munera, adornate viam. I Sapientia trabeata ad infantiam DEI, augusta nomina Bethleem convenite; itinere hoc vltra fines patrios, vltra exempla Regum, vltra metas gloriæ profectura. Ite: prodromus è cælo ardet, exspectat divinus Puer, pleno sinu explicat Virgo Parens Infantem ad cultus, ad basia, ad pietatis certamina, ad delicias, ad vsq; amoris excessum. Instruxerunt sarcinas donis, animos pietate, rapuerunt comitatum, iverunt: totum vexissent Orientem si perinde hic mobilis fuisset, atq; gazæ regales. Iam fax prævia celerato impetu prævolavit, consignans in àëre viam, quam Reges carperent in terra. Nec pietas segniùs incessit; præcucurrisset sine dubio facem nuntiam, si cum cælo contendere libuisset. Quæ interim affectuum lucta? quis moræ, & amoris conflictus? volabat, & repere se putabat nescius cunctari amor:

ocu-

oculus per cælum ibat; mens autem ad cunas hærebat affixa voto, ſed tam mens, quàm oculus ſtellam veluti lentam, tardaq; cæli munera accuſabat; quia cunctationem pertæſa pietas, vltra metas rerum, temporumq; ſe egredi putabat, dum non ſtatim in meta viæ, votiq; conſiſteret. ô quoties pectus ſuſpiria laxàrunt! ô quoties intra viam, dum ædes Palatinæ faſtigiis turrium exſurgerent, tædioſa charitas ſibi illuſit!
" Hæc (inquiebant) fortè domus natalis
" eſt DEI, hæc penetralia ſidereus Infans
" implevit. Interim Sion alto culmine in
" nubes luctatur, & regiam Davidis oſtē-
" tat cælo. Hanc forſitan (ajebant) aulā
" nutricem nactus eſt Infans, plusquam
" regius. Tum ſe aſpectibus præbet miraculum illud mundi, ſedes illa DEI, illud templum, quo ſemel viſo, non vltra oculis opus erat, cùm nihil ſimile illi in terris ſpectaretur; tum egregiè erravit amor. Hìc,
" hìc (dixerunt) aras occupat, pro altari co-
" litur cæleſtis Infantia: hic innumera he-
" catombe cadit, plurimusq; Sacerdos na-
" to adulet thura. Vbi enim æquiùs ado-
" retur, quàm in templo, cui cælum, palatium eſt? Cæterum, quæ illa conſenſio Principum, & cæli? ibat familiare ſidus? ſequebantur: hærebat? ſubſiſtebant: quaſi

imperatoria esset, non servilis flamma. Et verò quorum nutu terræ gubernantur, an non ij quoq; cælo pareant? vicissim quoties fessis Regibus liberet lassitudinem quiete remittere, stella, perinde ac si itinere vires effluxissent, cursum cohibebat; & palàm erat, pietati sidera militare. At ecce prodigium! peregrina fax, veluti admiratione fixa hæsit, supra humile tugurii tectum se suspendit, consignavit cunas, & tantùm non elocuta est arcanum cæli. Hìc enimverò stupere Principes, obrigescere, mirari, quòd fenile impleret DEVS, illustraret tæda cælestis; & tamen non tam vehiculis, quàm desiderio rapi, convolare ad miraculi novitatem. Quæ verò scena? Majestas sui prodiga recipit se intra mapalia: quæ iterum scena? intra præsepe DEVS & vagit, & fasciis innodatur. Quid demũ portenti? sua DEVM magnificentia non circumvallat: nec Tonans tonat. At non offendit inopia regales divitias, nec mortali pompæ displicuit abjectio Divina. Subitò egestas Regibus visa est dives: contra, divitiis inesse pauperies, squalori imprimi decus, honor fasciis illigari. Nimirum arcana DEI Majestas templum sibi fecerat è spelæo rudi, & stabulo horrorem detraxerat Divinitas fasciata. Iam Principes terram

ram vix olim dignati, ad terram se affligunt, tum pulverulenti humum lambunt, vsq; ad ruborem purpuræ, ad vsq; contumeliam fortunæ. Imò sic decrescere Gigantes, & modestiâ fastum castigari pulcherrimum erat, postquam in angustias corpusculi, casæq;, se Numen maximum collegit. Quid deinde? verba intercipit voluptas, pressisq; intra pectus vocibus, cum affectibus luctatur pia taciturnitas. Interim volutæ per genas lacrymæ perorant, vt verborum jacturam penset lenocinium plorandi. Tandem delibuta lacrymarum delicio lætitia in
" voces, & vota sic erumpit. Oriens (quin
" totus id terrarum populus exhiberet, si
" sua eum felicitas non lateret) Tuis se ad-
" sternit cunis. Nos primi publicæ de-
" missionis interpretes adsumus; quia pri-
" mos vocâsti. Licèt enim rudibus pan-
" nis adstringeris; stellam fabricâsti, quæ
" recenti flammâ exardescit. Illa nos ad
" Te venire jussit. Venimus ô rerum au-
" ctor: noscimus in puero DEVM, in
" DEO Regem; sed Regem, qui nihil de-
" beat fortunæ. Non à fabulis Divinita-
" tem rapuisti: naturâ, non commentis
" DEVS es. Didicimus, jam nihil specio-
" sum opibus inesse, nec palatii nitorem
" ad verum decus conferre quidquam. Ex

ani-

animo posthac cùm nitorem, tum glori- „
am quæremus, quos Tu magistrâ pauper- „
tate, & erudito silentio doces, aurum, „
gemmas, & cætera, quæ cupiditatem a- „
lunt, vilissimam esse partem rerum, titu- „
los, tantum vocabula. Interim Xenia „
hæc, vtiq; monumentum amoris, æter- „
næq; subjectionis pignus, Tuas ad plan- „
tas, quasi ad aram, dicamus: quæcunq; „
gleba genuit munus, in Tuo fundo na- „
tum est. Nec plura: Pusio lacryma respõ-
dit, risu etiam. Et placuit, sive rideret, si-
ve ploraret cælestis Infantia. Mille basia,
& animos plantis puerilibus impressere; sed
post oscula singula, Puer meretur dona re-
gia. Quidquid verò depromeret pietas,
mysterium fuit. Cæterùm & myrrha ab
Infante nectareo, traxit ambrosiam; & au-
ro pretium accessit à pretiosissimo Infante,
& thus olere suavius cæpit à lilio conval-
lium.

Dum se ad majora erigit stylus, ecce in ipso conatu fatiscit, pæne interit ars omnis. Quantum enim cæteri Reges, tantum vos ô summi Principes antecellitis non Regibus modò vniversis, at etiam ingeniis. Certè non ita vos coronæ baccis, & vnionibus emicantes attollunt, quemadmodum summissa Divinitati pompa. Alta fronte

veſtra incedit gloria, ſeq; in omnibus faſtis exaggerat auguſtum nomen. Vobis publicus plauſus acclamat: ô Principes! quos non luxus emolliit, non rerum proſperitas efferavit, non indulgentia fortunæ fregit animos! Magnis terrarum conſiliis exercuiſtis mentem? ſed in cæli curas ſtudium exarſit. Iterum delibatas è cælo mentes ſideribus affixerat ſapientia? ſed ſuperſtitio non infamavit aſtra. Affluxerant opes regiæ? ſed non ſparſæ in vulgum, vt inanes plauſus mercarentur. Divinos iis amores emere libebat, atq; crepundia DEI Hominis regalem facere fortunam. Meruiſtis itaq; luſtrico fonte, mox fuſo ſanguine expiari, vt multiplicato nomine, Purpurei, & Reges, & Martyres eſſetis, coronasq; laurea cæleſtis cumularet. Nulla vos proinde ſilebit ætas, & nulla deſinet mirari. A vobis Principes accipient exempla, populi ſtimulos pietatis, vniverſi Spiritus Divinos. Vos immortalitas pleno ſinu excepit, vos ambitu ſæculorum æternitas coronavit. Vbicumq; pietas non eſt inane nomen, habetis aras: ſtella quæ itineri dubio præluxit, in gemmis lucet, in adamante fingitur præſepe; atq; ad aras hara jam illuſtris eſt: in margaritis radiat aurum; myrrha redditur ſcalpris, penicillis, calamis, atq; ideo jam nectarea eſt:
augu-

augustæ ſapientûm facies in metallis vivũt, ſed metallis meliores. Vtinam & animos regales pingere Apelles, Phidias ſculpere, deſcribere Oratores poſſent, ô quantum poſteri ſimulacrum acciperent in exempla! *Dixi*,

ORATIO SECVNDA.

Opima impietatis ſpolia DEVS captus, cæſus, mortiq; addictus.

Nunquam fortunatiùs peccari potuit, quàm ubi barbara, & vix humana crudelitas DEVM adſtrinxit, cruentavit, confixit, perdidit. Scelere hoc parta eſt felicitas: noxa conſecravit genus humanum; è ſupplicii ſcaturigine in terram, & genus mortalium, in cælos, & Divorum numina manavit felicitas; ſed manavit torrente jugi, & plusquam Oceano! Tantùm igitur abeſt, vt atrocitatem ſæviendi approbem; & ſceleri fortunato ſit nomen virtus. At univerſitas rerum fatiſcit, ac veluti commoritur DEO; doloris ſenſum videntur excepiſſe rupes, & pertinacia ſaxorum, dum ſcinditur, ceſſiſſe affectui: totam ſol noctē admiſiſſe, atq; ab obſequiis diei ad nigra tenebrarum ſervitia tranſiiſſe, cùm decolor, ſqualidus, tetricus, triſtiſſimus medio die

vultum explicat nocturnum: terra ingenium Oceani hausisse, cùm dehiscit concussa; & tanquam procellis agitatur: tumuli parturire vitam dum horrida è sepulchris, ex urnis, ab ipsa morte, & patria tenebrarum in lucem funera emergunt: omnibus elementis nihil elementorum præter nomen extitisse, dum omnium funestissima, & DEO morienti concolor facies, primos colores amittit; inde squalet, obrigescit. Ita mæror universa confundit, pæne evertit! solus ego excolam stylum? ingeniosè dolebo? at Vir dolorum acumen duntaxat, quod immanitate spinarum horret, capite circumfert. Parcite Auditores: desipit fortuna, nec se agnoscit, etiam è delicto felicitas collecta, vtiq; parata gestire, dum lugent universa. Proinde triumphalis Orator, dum cæli mærent, dum terra concutitur, rostra adii, iterumq; proclamo: Nusquam fortunatiùs peccatum est, atq; tunc, cùm DEVS enecaretur. Quid enim? opima spolia reportavit Romulus, sed de Acrone, id est Cæninensium Rege; Cornelius Cossus de Tolumnio, sed de Tolumnio, id est Vejentium Tyranno, Marcellus de Viridomaro Gallorum Principe: Hierosolyma delinquẽs de Regum Rege. An non ista plusquam opima spolia? Si quid ergo sensûs ex dolore,

lore, (nam vos commori DEO dolentissimi Auditores, persuasum est mihi) reliquũ exstat, huc advertite. Misceat se lacrymis tripudium, reputare criminis fortunam, dum ego supplicia Domini, velut opima spolia præsentabo.

A cæna, quam tota Divinitate instruxerat prodigus sûi DEVS, itum est in locũ amœnitatis; sed (ùt voluptas citò in tristitiam denegerat) inter illecebras insidiæ latuerunt. Ecce enim hostis, ecce mille fata, ecce mille pericula, & totidem mortes. Nondum irruerant ex Vrbe apparitores, vt lora injicerent DEO, nondum insana, furiosa, crudelis, sacrilega manus efferbuerat, vt Vindicem libertatis adstringeret; jam potuit capi, teneri DEVS. Nimirum intra se reperit castra plusquam hostilia; & hinc intestinum bellum, hoc est, dolorum agmina, tædiorum exercitus, tristitiæ cohortes, innumera pœnarum genera. Itaq; obsideri animus, cor oppugnari, violari pectus, mens comprehendi, totus angore expugnari, ante cruces confîgi, emori ante mortem. Ne autem incruentum foret prælium, carnifices ærumnæ sanguineum sudorem expresserunt; mox, ut palam fieret, quàm grave animo supplicĩu inferret domestica affectuũ lucta, procubuit in terrã terrarum arbiter, interq; ci-

neres, & violentum ſanguinem, magis autem inter calamitates, Dominus cæli, & ſi quid cælo altiùs natura ſepoſuit, iſto etiam ſublimior, volutatus eſt. Ita triumphalis mæſtitia totum in triumpho DEVM duxerat! viceras jam mæror ſolatia, fortitudinem pavor; ſi ſemel debellari libuiſſet. Sed prima hæc velitatio, & quaſi præludium ſupremæ calamitatis. Exiguum eſt amori, ſi non multiplicato vulnere fatiſcat: victũ ſe haud ſentit, ſi ſemel vincatur. Poſtquam tela excepit multa, plura appetit, atq; ex ictibus aviditatem concipit patiendi. Itaq; inſtat agmen; ſed agmen hoſtile, furioſum, perditum, & pariter natum perdere vel innocentiam. Me miſerum! quidquid armorum eſt, contra inermem ſtringitur ſanctitatem; totam putes Vulcaniam ad unius criminis inſolentiam laboraſſe. Quidquid furoris eſt, atq; impietatis, totum id pectora ſacrilega ſpirant, & exſpumant; quaſi una mors non ſatis eſſet contra Auctorem vitæ. Furias ex orco crederes enatâſſe; niſi, quòd infernalibus monſtris mitiores iræ intra præcordia bulliant: Hieroſolymitanæ iræ, & majore numero ſe præcipitent, & atrocioribus odiis efferveſcant. Quæ verò caſtra? ſicariorum imperator ipſemet Princeps tenebrarum, qui ut faſtuo-

ſiùs

ſiùs peccâſſet, in vices meditati criminis adſcivit transfugam Divinis è caſtris Iudam, efferavit concilia, furiavit turmas, armavit cohortes, tantùm non omnem Hieroſolymam oppoſuit. Et quia non humile ſcelus aggrediabatur, in flagitii ſocietatem ſollicitavit Pontifices, Præſides, Reges, tribunalia ſacra, & profana, Romana, & Hebræa, per ſingulorum item viſcera infernale virus ſe diffudit; ut tantò ſtudioſior publici boni videretur quisq;, quantò ad nocendum paratior veniret, tantò officioſior, meliorq;, quantò majore flagitio ſe obſtringeret. Inſuper, (quis credet?) adverſùs univerſi Arbitrum, uſus eſt hoſtis univerſitate rerum: ſcilicet cælo, àére, cæterisq; elementis. Necdum enim aura intepuerat, nec verni rigores ſatis miteſcebant; cælum noctes, quaſi auxiliares, ſceleri commodabat; ut ab omnibus oppugnaretur, qui ſaluti omnium ſtudebat, & cuncta delinquerent ad unius Domini necem. Poſtremò, ſuâ Salvator concluſerat ſe voluntate, vt inter DEI hoſtes, (an non ita exclamem!) Divinitas recenſeretur. Quid ergo dicam? nonne, cùm Divinitas contra DEVM conſentit, vbi contra ſuum numen conſpirat obnoxius ſibi DEVS, ſupplicia Chriſti, non appellem crimen cælorum? Parcite funerei Auditores; deſtituit

 ratio

ratio dolorem, incocta vocabula præcipitat luctus, & in facrilegia verborum inconfultus mæror facilè impingit.

Quocirca undiq; circumfufus, quid mirum eft, fi manibus ficariorum teneatur, adftringatur loris, tranfeat in jura, & libidinem hoftium Chriftus? Triumphaveras Tu Domine Exercituum, fi Tibi perinde uti victoriâ, ac vincere conftitutum fuiffet. Etenim verbo (ut facilè impietas profligatur) oppugnâfti, fudifti, propè exanimavifti hoftem. Sed victum, (ùt regium eft veniam indulgere, Divinum, clementiâ nofci) erexifti. Hic jam raptari per urbis fora, & compita, circumduci per aulas Præfidum, & Regias Principum, oftentari per Iudicum fubfellia, per Pontificum palatia DEVS. Bene eft! Præfulibus, id eft, facrorum arbitris exhibetur Numen; non poteft non triumphare Sanctitas in Pontificio conlavi: inferetur delubris, aris donabitur, ponetur inter facrorum arcana, adorabitur pro altaribus. Didicimus è veterum monumentis opima (ut ajebant) fpolia, templis illata, Feretrio Iovi dedicata fuiffe, ut fe publica religione virtus bellantium confecraret. Meminimus Ancile, quod à cælo fluxiffe credebatur, Palladium item, quod cum Ænea Trojanis [ab incendiis] in Latium na-

vigas

vigaverat, tanquam ſecreta imperii pignora conſervatum, ignem poſtremò æternum in ſacrario Veſtæ à Veſtalibus, continuo nutritum pabulo ut ad ſimulacrum cæleſtium ſiderum cuſtos imperii flamma vigilaret. Figmenta hæc, at ſuperſtitioni grandis religio, mendaciis honor adornatus eſt. Non æquiùs erat, ut è cælo Advena, imò cœli, terrarumq; Conditor, Soſpitator generis humani, Votum, & Spes omnium, quæ ſe convolverant, ſeculorum, mereretur apud homines templa, reperiret Pontifices ad cultum?

Sed heu propagat ſe impietas inter nomina pietatis! Prô dolor! Sacrorum Præſides conſpirât, ut uno ſcelere DEVM, cælos, & quidquid ſanctitatis eſt, profligent! Sacrara inter palatia, pectoraq;, ſacrilegium & conceptum eſt, & præcoci incremento adolevit, ad usq; contumeliam, necemq; DEI! Neſcit plerumq; ingens fortuna delinquere, niſi in faſtigium eluctetur nefas: quaſi etiam hoc dedecus illuſtris fortunæ eſſet, ſi non ſupra plebis auſa magnificum ſcelus conſurgeret. Erubeſcunt cum populo peccare, quos ſupra populos felicitas evexit; quaſi dicerent: humile eſt, trita, „ ac vulgari via præcipitare ſe in vitia. Po- „ pulare flagitium relinquatur: proprium „

" nobis, ac peculiare sit delictum. Pec-
" cetur ad decus purpuræ: novum, & in-
" auditum sub Infulis nascatur crimen, quod
" vel ipsimet miremur. Terras oppugnēt
" alii; nos cælum. Hominum infortunia
" vidimus; sed mortales sunt. Experien-
" dum est, an DEVS possit interire, ut in
" Sacerdotii fastos Divina mors referatur,
" discantq; posteri, nos ad scelus ingentes
" esse. Et probavit se immanitas! depal-
matur DEVS, protruditur, deformatur
sanie, sputis, mox livore; ut jam maje-
stas illa, nihil majestatis, supercilio, ni-
hil gratiarum, facie, nihil dignitatis, ocu-
lo referat; sed toto vultu simulacrum
mortis oberret, mors ipsa toto corpore ri-
gescat. Et ista, sacrarium inter Pontifica-
le. Proh superûm, hominumq; fidem, quæ-
nam illa sanctitas Antistitum? quæ sancti-
oris aulæ religio? Tota equidem Passio
Salvatoris, in paradoxis, & contrariis de-
currit, quæ Philosophus neget, improbent
sapientes: verùm inter prima hæc patien-
di rudimenta maximè lusit atrocitas, & fu-
ror lymphaticus talibus paradoxis in æde
Præsulea, ubi innocentia nocens, impia pi-
etas, demens sapientia, integritas non inte-
gra, imò (quis non horreat?) scelerata
Divinitas! Sed barbarus Iudææ furor, imò
Di-

Divinus amor fecit has chymæras. Nimirum, ut ſpolia forent opima, debuerat Sanctitas integritate ſpoliari, & ſua pietati vocabula decerpi. Detracta inſuper Divino vultui Majeſtas, faciei honos, decor paſſus eſt naufragium fœdiſſimum inter ſputa. Et jam nullus inter hæc ſupplicia videbatur eſſe Chriſtus; niſi amor ſuî prodigus ſeſe ad pænam multiplicaſſet. Itum eſt ad feralem columnam, ad illam pudoris cataſtam, & plusquam ſepulchrale marmor. Heu me! ſpoliatur chlamyde, & tantùm pudore, plagisq; induitur Virgineum corpus! Itaq; vulnus novo vulnere ſecatur, ferocit ex arte, imò ex impetu ſæviendi, ſeq; totam cõſumit rabies, ut innocens verbere conſumatur. Ille quidem detracta veſte non potuit pudorem ferre, potuit atrociſſimos ictus, & pæne vulnere in omni mortem. Non ad flagellorum vices agitavit membra, nec ullo verbera fregit occurſu, aut Divinitatis obtentu fefellit lora. Sed bene eſt: nud⁹ etiã tam chlamyde, quàm majeſtate, poterat amiſſam innocentiæ ſtolam recuperare, poterat calamitate reddere felices, gloriam opprobriis redimere. Credite, dum ſanguis ille DEO plenus, & innatans DEO, tanquã ejectitiæ fæces prodigitur, omnibus in ſpolium ſeculis ceſſit. Inde ad gloriam rube-

mus: colore hoc nævi, quibus se infecerat humanum genus, obliterantur.

Postquam verò lassavit crudelitas immanissimos lanistas, illi, quasi otium interjicerent, ad novas Dominum seminecem pœnas inaugurarunt diademate, sed spineo, & quod perinde pungeret caput, atq; gloriam. Nimirum Regem Scenicum, & theatralem crudelis fabula propinavit sannis! At verò opima spinæ nocentes ex innocētissimo Regis capite spolia detraxerunt; quia hauserunt pretium, & se crudelitate sæviendi consecraverunt vepres, ut jam coronario Regum auro, gemmisq; per fluvios, & maria quæsitis, quasq; longinqui soles excoquunt, antecellant.

Tandem supremam, sed insolitam triumphi, atq; dedecorum pompam accipite pullati Auditores. Ah pompam! non sublimi curru, non albentibus equis victrix immanitas triumphos vexit, non tibiæ mugierūt ad pæanes, non purpuræ fulserūt auro, nō coronæ radiātes emicuerūt, nō vittæ, laurusq; circūlatæ, non victimarū greges ceciderunt: verùm jocularis in fabula Rex, & suâ tantū majestate subnixus incessit, veluti devictorū cohortes; incessit, inquā, exsīgvis gradu titubante, & caduco, trahens per vicos, per a clivia lapidosi montis, lacerum, &

ex

ex vulneribus tardiſſimum corpus, dicam veriùs, corporis cadaver, aut imaginem hominis. Humero fatiſcente ſedebat ſimul crux, ſimul omnium ſalus populorum. At verò DEVS enervis bajulabat crucem corpore præfracto, toto autem vulnera, atq; in his proximam mortem. Vehebat patibulatum Numen ſcapulis curule patibulum, ſuoq; tormento ſe onerabat: inferebat in montem ſupplicia, à quibus mox ferendus erat. Iam veſtram Auditores convenio memoriam, cui ſuggeſſeram initio dicendi, DEVM vinctum, damnatum, cruciq; affixum opima eſſe impietatis ſpolia. Non erravi, etiam dum immanes furentium errores tam ſuperbo titulo inveſtirem. Subite animis montem illum, ſuppliciis DEI, & ſcelere ſævientium, quàm ſuo vertice ſublimiorem. Actus eſt in crucem Amor: cauſa mortis atrociſſimæ, fuiſſe DEVM. Itane eruditè peccas inſana mortalium rabies? didiceras exuvias olim quercubus appendi; idcirco, vt ſpolia jactares opima, innocentiam trabi ſuffixiſti. Et ille ſui prodigus, primò exuvias corporis, id eſt, veſtem, mox exuvias animæ, id eſt corpus relinquet. Ergo crudelis ferocia tranſige manus ferro, pedes clavis perfora, totam intra venas animam ſcrutare. Si libet, poſtquam per mille vul-

nera ſpiritus erumpet, in pectus virgis lacerum, deforme plagis, adige haſtam audacem, illudq; amoris, atq; Divinitatis penetrale, cor, viola pilis, pervade lanceis, reliquias Divini ſanguinis effunde: hoc exhauſto, profuſiſſimus ſûi Dominus, ſi quidpiam aquæ intra fontem vivum, intra pelagus gratiarum exſtabit reliquum, libens effundet. Huc inhumanus hominum furor, huc amor Divinus profecit.

Sed jam expirante Vita, omnia inſolito naturæ tumultu laborant; ſol pullatus noctem populis vehit, luna deficiens ſqualido horrore vel nocturnas exterret umbras, aſtra cætera quaſi tædæ ſepulchrales rigent funeſtiſſimè, ſubiit dolor ſaxa, tellus excuſſit buſta, ſuisq; cineribus Cocytus reſtituit manes, ut augeret horrorem. Prò! quæ iſta rerum facies? an non mihi etiam tumultus hic laborantis naturæ incutiat ſtuporem, excutiat verba, meditatam præfocet orationem? Exſpiret dictio, vita exſpirante, & tantùm ex ore, ex oculis erumpat dolor parentalis. Quando autem taciturnum ex morte VERBVM, & commoriens auctori ſuo natura mihi quoq; ſilentium imperat, vos intra animos fortunam mundi reputate, ſi libet, opima ſpolia partimini. Tantùm ſcilicet emoriens DEVS profudit

fudit in terras, vt cælum etiam posset ditescere. Accusatores & tribunalia rapuerunt famam; flagra, tellus, saxa, vepres, crux insuper sanguinem biberunt: mors vitam abstulit; militi in spolium cessere vestes: & dum sine sanguine, sine vita, sine honore, vmbra vix hominis, utiq; luridus, plagis obsitus, torpens lethali frigore penderet; etiam tunc erat, quod melior oculus decerperet ad animi voluptatem. Nam inter sputa, & livorem, saniem inter, & vulnera, formosus ex horrido, & juxta corpore decorus, ac animo esset, piis mentibus incurrebat. Tumulis pariter accessit honor, cùm illud Divinitatis palatium visceribus terræ conderetur. Postremò, ad manes diuturnitate temporis juxtà, ac votorum defessos invexit se animus; animus, inquam, DEO plenus. Habuit infernus, quod superi inviderent. Etenim perpetuis noctibus infecta Patrum cubilia, diem totum admisere, mæror in tripudia, tenebræ in lucem, in salutem damnatio degeneravit. Non exclamem?

* *Iam nihil ô Superi querimur: scelera ipsa nefasq; Hac mercede placent.*

ORA-

* *Lucanus l. 1. à v. 37.*

ORATIO TERTIA.

Spinei diadematis coronamentum.

HAbent jam pretium ignonimiæ, postquã ipso Numine consecrata sunt probra; honestata vilitas, versæ in decus contumeliæ. Quid enim? cruento sudore manavit, quasi enervis DEVS? at plus gloriæ profluxit, quàm cruoris: vinculis adstrictæ manus? sed ultra libertatis fastigium extulerunt servitutem: flagellis lacerata, cruentata, & propter hæc in unum pene vulnus degeneravit innocentia? sed mari hoc sanguineo, quæ inter syrtes primævæ labis naufragium passa est felicitas, iterum emersit, iterum ad populos navigavit. Deniq;, nec crucis supplicio deformata Majestas, etsi Divina. Nemo Principum, quamvis inferretur solio, quod palleret auro; ebore albesceret, flagraret gemmis, tantùm non omnia malorum irritamenta jactaret, tam augustè enituit, ut DEVS patiens in illo perditarum mentium supplicio, ac veluti theatro dedecorum, in illo probrosissimi cruciatûs instrumento, cruce. Nimirum calamitatibus approbatur animi magnitudo, ùtq; inter adversa crescit virtus, pariter gloria, decus,

majestas. Ista est gloriæ familia, ista probitatis incunabula, hæc alimenta magnarum mentium, ac tandem laudis, aspera, labor, ignominiæ. Quanto agmine se intulerant calamitates, & stimuli dolorum; tanto, imò numerosiùs incedunt laudes, ut ipsamet cruciatuum instrumeta in decus Christi degenerarent. Vtq; olim, cùm ventosa victorum arrogantia triumpharet, exuviæ populi, detracta spolia, arma hostibus erepta in trophæum surgebant; adversis etiam vulneribus, plus, quàm patritio stemmate, censebat se non levis jactatio: ita DEO pœnæ sunt trophæum; nec DEO duntaxat, sibi quoq; gloriam extorserunt. Per singula abire immensum est: sola, quæ augustissimum Domini caput pupugit, corona acumen præbet: spina hæret animo, spina dicendi mihi materies. Itaq; coronæ, quæ Divinum verticem violavit, elogium, veluti coronamentum pertexìmus. Divinæ cæsariei tormentum, supplicium illud frontis plus quàm Regiæ, accipiat encomia.

Olim per dedecora magis, quàm per terras serpebãt vepres, tamq; infami vocabulo perstrepebant, ut vix humilius quidquam, atrociùsve terra parere videretur. Spinæ rude ejectamentũ naturæ, spinæ degener part⁹ telluris, spinæ anathema, execratio terrarũ diris devotarum,

rũ, ſpinæ primi ſceleris pœna: nunc poſtquã in Divinum inſaniſſent, verticẽ, è ſcelere honorẽ collegerunt jãq; inter delicias Principũ, quos religio melior inſignivit, tã avidè recẽſentur, ut nemo non ardenti⁹ ambiat vel punctũ ſentis illi⁹, qui in caput Divinũ ſæviendo, ipſâmet crudelitate ſe cõſecravit, ac veluti apotheoſim ex crimine cõtraxit, quàm omnia Regum, & Imperatorum diademata.

Primus ſit Godefridus Bullonius, qui primas detulit coronæ, crudelitatem inter, & flagitia conſecratæ. Illum ab avito Lotharingiæ Ducatu, tantùm non ab intimis ſuorum præcordiis avulſum, tot terræ alium in orbem detulerant, tot aquæ expoſuerant in orientem; ubi Heros ille ad terrarum commoda (ut ſemper ingentes animæ gignuntur univerſo) natus, per tellures & maria primò bellũ vexit ad Nicæam, Bithyniæ urbẽ cepit, Martẽ deinde promovit Antiochiam, quam & ferro, & fame expugnavit. Ne autem cum ſaxis tantùm confligere videretur, centum millia Saracenorum fudit: tandem (1099 tunc ſe volvebat annus) ad mœnia Hieroſolymæ penetravit ſeſe, in muros inſilit, totum ſe in hoſtes jaculatus; urbem, quæ olim & caput, & compendium orbis erat, cujus etiam DEVS incola audire, tantùm non ambierat, expugna-

gnavit; cædem DEI Hominis barbarico cruore eluit, expiavit. Quid tandem? victor lauros, coronas murales, civicas, regium postremò meruit diadema. Itaq; ab universis conclamatus Rex Hierosolymæ, dies inaugurationi destinata, conventus celebrati, corona ex auro, è gemmis, tam affabrè, quam opulenter coaluit, ut de uno virtutis bellicæ, capitisq; ornamento, universa, & ars, & pretium certare viderentur. At vindex rei Christianæ, quasi exiguum duceret, expugnato hoste, irritamenta fastûs non profligasse, bellum intulit arrogantiæ; oppugnavit jactantiam, vicit triumphantium morem, ut inter trophæa, ac victorias se quoq; recenseret. Quò mihi (inquiebat Bullonius) ornamenta capitis? meus vertex pallebit auro? comæ ardebūt pretiis regnorum? stellabunt gemmæ prætemporibus? Non ita me effinxit pietas; didici DEVM hac urbe incessisse coronatum; sed spinis: contumeliæ ambiebant caput, & dum coronarent, lacerabant. Adeò nè ipsi quidem rerum, Regumq; Arbitro contigit diadema absq; puncturis! impressit se capiti: sed inflixit aculeos. Nempe impietas ad flagitium ingeniosa tàm acutè sævijt in DEVM, ut acumen pervaderet Divinum cerebrum!

" Rubent adhuc testes crudelitatis notæ san-
" guineæ, è saxis lego, quæ, duriora saxo
" ingenia dum ignominiæ Regem inaugu-
" rarent, immanissimè patrārūt. Absit i-
" taq; , ut aureæ coronæ submittam caput,
" Quidquid veprium horret, congerite :
" præterquam quòd regna, & coronæ, sint
" quidem pulchra, attamen tormenta im-
" perantium capitum ; Regem dolorum li-
" bet imitari. Igitur post victorias, post triumphi gloriam, post regales titulos, post coronas, quæ regnorum impendiis constarēt, sed ad hoc solum, ut à Godefrido contemnerentur, asperatam vepribus coronam, regali capite excepit, circumtulit; quasi modestiam telis spinarum armaret contra fastum, aut puncturis veprium expungeret libidinem eminendi. Macte animo Princeps! quia Regium & nomen, & diadema, virtute bellica paraſti, gloriosissimum est; quia sprevisti, immortale; quia spinas auro prætulisti, Divinum. Nulla Te meliùs potuit corona exornare, quàm contempta, spinea deinceps. Ibit ad memoriam ætatum, Te ex gloriæ triumphis quos merueras, nihil decerpsisse, præter Tuî, & insignium contemptum. Dicetur olim: Bullonius fregit hostem sed (quod omnibus præstat victoriis) se quoq; vicit, & in triumpho duxit

arro-

arrogantiam. At etiam (per fidem!) quis inde honor ſpinis? jam repere per humum non videntur, cùm ſupra Regium caput, quod fortuna cælo proximum fecit, emineant. Inde eſt, quòd intra arcana regnorum pignora religioſiùs, quàm olim Ancile, quàm Palladium, quam ignis Troicus, coronarii, DEOq; (ut ſic eloquar) conſanguinei vepres, conſerventur. Certè primogeniti Ecclesiæ Filii, potentiſſimi fidei defenſores, inconcuſſa Evangelii columina Reges Galliæ, ſua lilia has inter ſpinas fovent, iisq; ſubmittunt. Adeas enim Lutetiam, atq; ibidem regalis penetralia ſacelli, infeſſumq; Numine ſacrarium, plurima inibi occurrent, tanquam in compendio ſanctitatis, ſacra; primas tamen ſentibus Divinis detulit Regum favor; quaſi feliciùs vernare non poſſent ſua lilia, quàm inter Regales DEI ſpinas. Spinea ſupra aureas, gemmeasq; tollitur corona, Principum cumulatur donis, & innumera inter decora, quaſi unicum Deo tenetur, adoratur.

Nec ſolùm in duro virorum pectore; aut temporibus hæſit ſpina; in molles etiam animas pretium ſui, amoremq; transmiſit. Accipite Mariam, natam Caroli eti; cui non illud familiare quidem, ſed peſſimum aulæ vitium, aſſentatio, cognomentū

Magni imposuit, sed merita, sed mundus, in pretia virtutum consentiens. Hæc Imperatorius sanguis, conjux deinde Imperatoria, quia vinculo maritali adstricta Maximiliano 2do; verùm inter hæc speciosissima ambitionis nomina, & alimenta, imperiales coronas, quasi crimen fortunæ, aut modestiæ supplicium dedignata, aculeatum sentibus diadema, ambitu majore complexa est, quàm cæteræ, etsi fastuosissimæ, serenatas gemmis coronas. Illud inter Atavorum stemmata, inter decora Cæsarum, inter imperiales cultus reponere, illud animo revolvere, oculis terere, amore complecti, tanquam tunc imperaret augustissimè fastui, mundoq; muliebri, dum spinis & se, & inanes pompas ad opprobria Numinis provocaret. Adiisses augustale: cæli instar micabant fausta penetralia; cæterùm non excepissent oculi in tholis, aut parietib⁹ variatis

* *stantes in curribus Æmilianos*
Et Curios jam dimidios, humeroq; minorem
Corvinum, & Galbam auriculis, nasoq; carentem,

non pictos cupidinis arcus, non veneris blandimenta, non Proserpinæ raptus, non Paridis de forma Dearum judicium, aut Trojæ fumantis incendia, non labentem de patrio curru Phaëtontem, non lamenta Prognes, aut cætera penicilli mendacia, quæ

* *Iuven. Satyr. 8. à v. 3.*

oble-

oblectant aulas, offendunt sæpe verecundiam; siquidem & ipse color non raró erubescit artem, quæ simulavit dedecora, quibus tantùm non ipsos vulnerat parietes, aut tabulas, in quas transtulit. E parietibus ut plurimum pendebat, spineæ coronæ ambitus, quin & epigraphe addita legebatur: *hæc sola spes mea.* Dicere volebat: quò
„ mihi opes? telluris eviscerata sunt humi-
„ lis partus: quò aurum? pallet quasi ca-
„ daver informe, ideoq; altè à natura se-
„ pelitur humi, eodem loci sepulchrũ, quò
„ natalem situm, cunasq; sortitur, quin e-
„ tiam ab ipso rerum Parente in terra de-
„ fossum est, ut pedibus protereretur, non
„ amaretur. Quòd verò aurum, plumbo,
„ aut chalybe sit pretiosiùs, cupiditas fecit,
„ non natura. Quò mihi stemmata gene-
„ ris? ceram antiquitas nuncupavit: ce-
„ rea sunt, lucent; sed diffluunt. Quò
„ mihi sanguinis claritudo? eodem è cæno
„ emersimus universi! Ad hæc, nasci splẽ-
„ didè, pulcher equidem est, attamen ca-
„ sus; parumq; interest, vagiat quis in au-
„ reis, argenteisq; cunabulis, bombicinis
„ fasciis; an humili in gleba, rudiq; cen-
„ tone. Quò tituli? quò nomina? quó
„ fasces? tantùm hæc ad sepulchri gloriam
„ servantur: auribus insonant; sed cum
„

"auris vanescunt. Contra fata, ac invidi-
" am nullum hinc acuitur telum, imò,
" quantó illustriores sumus, tanto magis à
" pluribus observamur. Silentio præteri-
" tur vel scelus plebeium; Principum vir-
" tutes etiam, censuræ patent, perinde atq;
" turrium, montiumq; fastigia fulminibus.
" Quid itaq; gloriæ? quid spei capiendũ?
" en crudele Divini capitis ornamentum,
" en spina! Quæ DEO cesserat in oppro-
" brium, mihi sit tantùm non superbiæ ti-
" tulus, certè illicium spei.

An sileam Ducem Lotharingiæ Philippam? an dissimulem Elizabetham, Regis Hungariæ filiam? augusta nomina? sed major illis è contemptu coronarum, quàm è coronis succrevit honor. Nimirum hæc, dum supplici precatione confixum Numen adoraret, diademata, gemmas, quasi dehonestamentum frontis regiæ, aut indignum oculis DEI spectaculum, submovebat; spinas animo, spinas voto agitans. Quis ardor pectus quoq; & totam mentem incenderat, etiam ut sentibus vulnerarentur, qui voluptatem pungendi è Christi vulneribus extraxerunt? Illa, quasi puderet mitræ ducalis, sic eam ex insigni gentilitio erasit, erasæ spineam substituit. Poterat credi, quòd in familiam Regis passi transcriberet se,

dum

dum Divini capitis insigne ad suum stemma adlegit.

Nec favore Principum duntaxat spinæ valent, etiam natura, quasi suam emendaverit industriã, vepreta educat ad honorem. Rhodum memoro, ubi Melitenses Equites, inter religionis arcana numerant reliquias spinæ sanctioris. At quo prodigio? dum se Divini supplicii dies evolvit, quotannis efflorescit. Miratur equidem natura suos inter partus non suam prolem, sibi tamen simillimam; quin neq; suam negat, dum sentis efflorescens inter veris delicias recensetur. Diceres: quòd delicio floris tegat crudelitatem, quâ sævijt in DEVM, aut erubescat minio vernante, quia pudet facinoris patrati.

Post favores Principum, post naturæ privilegia, experiendum est, an etiam ab ipso Numine habeat laudes corona? & palàm est habere. Quid enim? crux, cui totam salutem se debere mundus fatetur, dorso imminebat, & tota extra Christum, quasi non auderet se intromittere. Lancea penetravit cordis augustale? lancea tamen. Neq; enim tunc, quando Divinum cor attingebat, nomen amisit, vixq; ingressa, subito effugit, velut perterrita, aut pertæsa. Clavi ingressi plantas, manusq; clavi tamẽ:

& infimo loco in pedibus, nec eminenti, in manibus hæsere; quasi hoc solum supremum esset, quod rudi ab incude transierint ad pedum, manuumq; supplicia Divinarum. Spinæ autem eluctatæ in caput usq;, penitum sapientiæ domicilium penetrarunt, pervaserunt cerebrum, supremum tenuerunt fastigium, locatæ in ipsa fronte, ac vertice, & per oculos egressæ aspexerunt, quasi pro DEO mortuo lustrarent orbem aspectu vicario. Altum hoc! ut caput quasi Princeps quidam, omnibus membris eminet, sic corona omnibus tormentis eminebat, ut sublimiori quadam ambitione desæviret. Ad hæc: quamvis omnia, quæ immanitas ad torquendam innocentiam DEI, scelere armabat, ad gloriam deducta sint; attamen vincula à mancipiis feruntur, crux à latronibus, à sontibus, & mediastinis flagra; à Principibus corona, quæ spinea quidem est, corona tamen, & nomen hoc tam augustum nec inter aculeos dimisit. At vilis est spina? erat: nunc postquam mundi pretio, id est, Divino sanguine imbuta est, pretia mundi imbibit. Quid pluribus hæream inter spinas? in orbem convolvitur? viva est æternitatis imago: desinit in acumina? radios solis imitatur: totus deniq; horror ipsius diadematis inter honores est? ut post-

quam

quam semel Divinum caput insedit, jam humanarum rerum apices transcendat.

Nec sibi duntaxat spineum diadema, adorando etiam DEI Hominis capiti adscivit honores; siquidem aureas, gemmatûq; pretiis accensas parit coronas. Etenim Reges suo detractas, Divino capiti imponunt vittas. Canutum hîc (quis enim universos computet?) insinuo: certè hic non è decoro credebat se Danis imperare, si attolleret augustam cæsariem auro, margaritis irradiaret, serenaret unionibus. Itaq; ornamenta capitis excutit: ipse interim, quasi verna trabeatus, adrepens simulacro DEI confixi, animum, coronam, totum se dejicit in terram. Tu (inquiebat) rerum Arbiter, semper horrebis sentibus? non satis „ erat, tunc dumis violari tempora, dum „ ad supplicia, probraq; totam prodigeres „ damnaresq; Majestatem; ut etiam nunc „ tuum in simulacrum mentita deſæviant „ supplicia, & simulati imagine tormenti „ caput crucient, ludicra inauguratio, hu- „ cusq; in saxis, lignis, metallis, sæviat ad „ tuos cruciatus? Ista cum lacrymis effuderat: mox de capillis, quasi regalibus irasceretur insignibus, coronam diripuit, direptam Salvatoris capiti impressit. Et nos (in- „ quit) Reges, simulacra DEI sumus, ni- „

" hilominus iſtud, etſi ligneum, niteat;
" mihi intra gloriam ſtabit, dum ſqualebo.
" Tu meis è nitoribus vel hunc radium, aſſume.

Quid plura? pro laudum coronide, quas ſpineo pertexebam ſerto, liceat brevi metro ludere, atq; pungentibus ſpinis lene acumen inſerere.

Cedite gemmata, regália ſerta, coronæ;
Seu vos urit onix, collucetúve pyropú,
Seu timidæ ſati, Lydo palletis ab auro,
Aut circùm premitis frontem ſtellante ſmaragdo,
Cedite: ſpina tenet regnum, ſpina omnibus exſtat
Altior, & gemmis, & regnis. Spina coronas
Queîs tumidus ſurgebat apex, ſuperavit. Honorem
Noſſe cupis ſpinarum? inſcriptæ nominaRegum,
Submiſit DEVS ipſe truci faſtigia ſenti:
Delicias inter Procerum, gazasq; Quiritûm
Spina recenſetur; faſtumq; expungit, & auri,
Et quidquid pretii mentitur avara cupido.
Unde ſed abjectis honor ad ludibria ſpinis?
Exhauſit pretium Divino è ſanguine vepres:
Eſt pretium læſiſſe DEVM, pretiumq; furorú.

ORA-

ORATIO QVARTA.

Fortunatum Longini crimen Lateris Divini apertio.

SI mihi tantum acuminis in eloquio foret, quantum tibi Longine in ferro est; næ ego totis facundiæ viribus in te vibrarem calamos, & in penitas usq; cordis latebras adigerem stylum, ut tantum sibi parentalis dolor permitteret in vindicando piaculo, quantum furor tuus ad supplicia Divini cordis exæstuaverat. Sed cum, inter æqui doloris officia, & iniqui furoris vindicias dispensata oratio versetur, tantis affectibus haud sufficit; imò quò plura molitur ars, eò magis universa fatiscit, pænè interit. Dolori frena laxantur? intercipit hic sermonem, pro verbis lacrymas oggerendo. Indignatio se accingit ad ultionē? turbatur affectus, atq; ut huic lingua obsequitur, non bene concocto dolore, confusa & præcipitata ingerit verba, omnesq; irarum impetus frangit. Accedit, quod vulnera amet sua DEVS, nec modò cordialem hostem fulmine festinato non obruat, at ne execretur quidem, quinimo patrocinium offerat Divinitas læsa. Quamobrem sic attemperanda est oratio, ut impetus dolendi consentiat

Divinis affectibus. Tantùm itaq; abest, ut rear, neminem atrociùs, & feliciùs neminem deliquisse quàm Longinum, asseráq; facinus hoc perinde fortunatum, ac funestum. Sed priusquam conclusero, ita rem accipite. Neq; enim ignoratis istud esse doloris ingenium, cui se immiscuit indignandi contumacia, ut animi plagas revelare semel non sufficiat; sed veluti nihil aliud cæteri meditentur, nihil sentiant, ita suas calamitates crudus ex infortunio mæror narrat, & renarrat. Inde est quòd ex arte dolentium redordiar crudele, atrox, exitiale, pectoris, cordisq; supplicium, etsi vestris perinde memoriis, ac Divino lateri vulnus hæreat, altaq; mente sedeat plaga, veluti recens.

Exspiraverat vita, ergo emori clementa saxa etiam, licet durissimo obriguerint ingenio, sensum doloris admittere, dolor ex fato Numinis conceptus, terræ primùm viscera concutere, mox petras non agitare tantùm, at etiam lacerare, diffindere, & tanquam æstus pelagum jactare. Mirum est, quòd crudelitatem humanam fatum hoc non emolliret, neq; præcordia mortalium lacerare! imò nec mirùm. durius est impietati ingenium, quam sipilo, quàm adamanti, quàm cautibus Marpesiis, & si quid istis natura ferocior magis induravit. Etenim

Lon-

Longinus, cùm Authorem vitæ jam fata exsolvissent, cùm geminos soles veriùs quàm oculos nox fatalis exstinxisset, cùm mortalis livor, pallorq; violasset genas, & primum illud vitæ domicilium, extremum leti penetrale mors occupasset, toto se demum corpore, totis artubus sparsisset letum, jamq; exanimis DEUS, in crucis ferali trunco, sine animo, sine decore, sine majestate, tantùm non sine nomine nutasset, dum jam incubantibus fatis gravidum caput, & à summo retortum, supra emortuum pectus recubuisset, nec quidquam vitæ vita retinuisset; ecce Longinus, cui, (ut publicus rumor circumfert,) cæcitas unum vitiaverat oculum; hastam corripit, armatam manum librat, demum tanta vi contorquet pilum, ac si uno in latere omnis lateret hostis, & omnis uno ictu confodiendus, profligandus, enecandus foret. Nunquam tanta sævitiâ, tantoq; impetu in omnes Romanos Caligula sævijsset; licet omnibus cervix adesset una. Prodigium! *odium omne adjuvant oculi, & in pectoribus humanis furorem hunc lumina accendũt,* utq; cæteris vitiis per oculos in animum via est, sic crudelitati. Longino vultus, tãtùm non perpetua nocte coopertus; attamen mens concepit facinus, ad quod ducibus oculis pervenitur. O cæca crudelitas!

ô ca.

ô captum, & lumine, & mente scelus! Videte Auditores, quàm oculata sit ad flagitium cæcitas; amoris regiam oppugnavit, pulsavit, aperuit, penetravit impietas. Heu me! lusca immanitas sine errore peccavit in cor Divinum! adeò nemo erravit ab inferis, dum se per piacula in exitium præcipitavit temeritas, nulliq; faciliùs patuit Avernus, quàm infelicissimæ cæcitati. Tetigit ergo metam sanctissimi amoris, pecti charitatis, Divinitatis penetrale, vitæ sacrariũ, dum ab omni amore, atq; ab omni humanitate crudelis lancea, & quibuslibet lanceis crudelior manus, animusq; exerraret.

Et jam crudelitatis, nec non sacrilegii Divino in latere, ipsaq; in morte, ludentis, hastiludium peractum est. Trajectus interim ferali hasta DEVS, non letale virus, (quid enim aliud vel à mitissimo Rege sperare poterat immanitas?) non virus, (inquam) effudit; sed reliquias sanguinis post fata etiam ebullientis, & animati tantùm amore nostri, ac etiam illius, à quo fundebatur. Cùm verò segniùs proflueret, nec jam proflueret cruor, aquam de fonte vitali, tamquam dilueret crimen Longini, effudit Christus; fudisset cor ipsum profusissimus sui DEVS, nisi placuisset, relinquere amoris venam, unde charitas perpetuò scaturiret.

At debueras Longine, si non omnem tunc hominem exueras, saltem interrogare humanitatem, an ista facinus tantum possit aggredi? non satis erat millena post vulnera, veriùs fata, confici innocentiam? emori vitam? ut novas mortes in præcordia deduceres? non jam caput horrebat spinis, quæ letum imprimerent cerebro? non altis vulneribus manus, pedesq; hiabant? aperta hæc, & quæ non uni fato sufficissent. Non artus universi intra se mortem admiserant? cur iterum cogebas mori, quem semper vivere oportuisset? Moriatur (inquit) rursus: una isti mors non „ satis. Quid? caput confoditur spinis? „ frontem, & supercilium suæ funestant „ pænæ? oculus innatat sputis, atq; lacry- „ mis? & linguam, & palatum, myrrha, „ fel, acetum corruperunt, inq; omnibus „ membris, quod vel cæcus videre possim, „ superstites notæ supplicii manent. Ita „ abundè sævitum est! Quærenda novo „ vulneri, & novæ morti, nova spatia: pro- „ pagentur fata, & ipsa mors morte aliâ „ plectatur. Forsitan subtus præcor- „ dia, vitæ aliquid delitescit, illuc tormẽ- „ ta demittamus, arcano cruciatu intima „ pervadenda sunt! ne quid sine vulnere, „ sine dolore, sine leto reliquum existet. „

Sic

Sic vaga, & inconſtans, & ſibi in multis criminibus diſplicens, donec omnia patrarentur, levitas animum jactabat. At errâſti Longine, erraſti, dum ſariſſam adigis, intra Divinum latus; ut hoc, recenti plagâ violetur. Olim præcordia hæc lancinata ſunt; quia olim ſua tela vibraverat amor noſtri, ut mitiſſimâ atrocitate in cor ſæviret, & ſæviit: ſed charitatis vulnera geminãdo, tu ſolùm egiſti, ut intra Divinitatis ſacrarium, aramq; ſanctimoniæ, impietas quoq; graſſaretur, nec deeſſet amoris vulnus, & odii. Iam ſi ea videndi cupido eſt in latere foſſo; perinde ac in ſpeculo, advertes Longine & DEI clementiam, & tuam feritatem, etiamſi mundo incubuerint umbræ tam horridæ, ut intra noctem meridionalem; decolor dies prope amiſerit nomen, amiſſa luce. Nonnulla brutorum, quæ natura ſævior efferavit, nè ipſis quidem mortibus parcunt; ſed avidâ helluandi ſævitia corrodunt fati reliquias, atq; huc proficit crudelitas, ut quod tumulo deſtinabatur, inter avium, & beſtiarum viſcera condatur. Nulla tamen ferarum ideo ſævit in emortuos, ut tantùm dilaniet artus exanimes, atq; in his exerceat feritatem, quæ non poſſunt violentiæ reluctari. Satis eſt ſemel mori: novi quæ cauſa fati? Si hæc feris humanitas, quantò mitior

tior hominibus etiam iis, quos tellus barbara educavit? Natura constitit, ut quos odimus in vivis, mortuos rarò insectemur. Quinimo peregrinis, nè dicam hostibus, postquam cætera sustulit fortuna, lacrymas reliquit, quibus exuviæ ferales perfundantur, ut exequiæ decorentur planctu, & commiseratione, tellure funus obruatur; nè insepultum esca sit belluarum, careatq; terrâ, quæ patria mortuorum est. Sæpe etiam, ubi hæc parentandi superstitio non exolevit, habent suas Præficas, næniasq; non amici tantùm, & quorum consuetudine uti libuerat; at etiam hostes, & hospites defuncti jure funeris merentur cùm justa, tum lacrymas, quasi inconditum, infletumq; putrescere non possit cadaver. Impiissimum verò ducitur, immanitatem fatigare in iis, in quos durissima necessitas, jam sua jura exercuit. Cùm se ita res habet, quot causas dolendi in uno pectore, uno in vulnere aperuisti ô miles! Si tamen militem appellare fas erit, quem non magnanimitas pulchra, sed furor execrabilis in extrema sævitiæ præcipitem egit. Quot tamen causas ingemiscendi uno facinore contulisti? Primò enim, si uti vellem ambitu tristissimæ calamitatis, & patrocinium mortis invocare suffixæ innocentiæ, corporiq; animâ jam casso, debue-

 ras

ras dicere: jam mortuus eſt; itaq; ferro parcendum erat. Quodſi tot inter leti argumenta, ſubibat mentem dubitatio, num anima lateret in corde, & vitæ aliquid furtivè inter fibras abderetur, conveniebat explorare venas, ſenſus conſulere, ab oculis, à manibus, ab humanitate judicium exſpectare; tunc ſub ipſo ictu fortunæ durioris ſtetiſſet ſecura mortalitas, neq; iterum ſuiſſet mori coactus, quem ſemel impietas vitâ ſpoliaverat. Quid autem hoc crudelitatis, immanitatem, facere aram judicii, curiam decreti, atq; ideò haſtam in conſilium vocare, pilo veluti exploratore, aut arbitrio uti, percontari ferro, num vivat mortuus. Accedit fomentum doloris, atq; lacrymarum, quas nulla exhauriat ſpongia, quòd tam dirè in eum ſæviatur, qui neq; in Iudæa verſatus eſt, quaſi novus homo, nec hoſtem ſpiravit. Tribulem cecidiſti Longine, & qui beneficiis magìs ſuam Patriam, quàm pedibus peragrabat. Ergo vulnera ſtipendium laboris erunt? ergo flagitii pœnas luet beneficentia? Solus tu Domine IESV poſt-fata plecteris, qualiter noxii hoſtes noxii, nec advenæ in perniciem ſtructi. Didicimus hic bene ſuum Longino vocabulum convenire, cui tam longa manus eſt, & rabies, ut etiam emortui pe-

ctus possit contingere, ferire, laniare; tantumq; in simulacrum jam hominis audere; quantum in hominem vix lictor. At neq; Longinus dici merueras, crudelitas abolevit nomen istud, penitusq; delevit cruor innocuus. Innocuum duntaxat appellavi, vix enim ampliùs Divinum libet vocare, cùm DEVS infra homines, infra noxas innocentia stetit. Lanignum ego dixerim non Longinum, postquam durissimum pectus in lanienam innocentiæ consensit, postquam dextera scelere magìs, quàm ferro armata se erexit, postquam reluctans parere ferrum, ferro durior animus in crimen acuit, & in supremam còëgit immanitatem, demum perdita audacia pectus oppugnavit, cordis intima pervasit; né quid inausum relinqueretur. Excordem certè dicerem, postquam cor Divinum sic transverberasti, ut vulnus ultra mortem pateret; nisì Rex mitissimus hastili objiceret tam pectus, quàm amores. Quæ enim illa benignitas? vix latus percussum est, pectus vix patuit, è plaga vix cruor, tum deinceps aqua, tantùm non ipsum cor emanavit, cæcitas ex oculo hastatoris (quem dicitur sanguis deciduus imbuisse) pulsa & veluti naufragium passa est. Nempe clementissimus ille Dominus, postquam noctem ex morte in

ſuos oculos admiſit, intra pectus reliquit di-
em, ac lucem, quam ſpargeret in hoſtes
Regium eſt iſtud: perpetuò munificentiam
diffundere, & poſtquam deceſſeris, relinque-
re ſeminarium, fontemq; gratiarum. Ne
in oculum duntaxat rediit lumen; etiam
animo influxit dies, & hoſtilitas paravit a-
micitiam. Nimirum agnita veritate Lon-
ginus, pro DEO pugnavit ratione, qui fer-
ro oppugnaverat DEVM. Nec iſtud tan-
tùm; etiam ſanguinem ſuum meruit pro il-
lo effundere, cujus fuderat. Haſta demum
carnifex in honore eſt, & inter ſacrorum
monumenta, veluti pignus ſanctiſſimum con-
ſervatur. Fabula eſt haſta Romuli, & Am-
phiarài lancea, fabula; quarum hæc ab aqui-
la in ſublime delata, demum ex alto imp-
cta telluri, degeneràſſe in laurum; illa c-
ni ramis foliisq; dicitur effloruiſſe. Lon-
gini haſtam crimen atrocitatis, ſecutusq;
rociam Divinus ſanguis majores ad hon-
res inauguravit. Ornamento eſt, latus D-
vinum, mox ipſam cordis regiam penetr-
ſe, tandem ſanguine illo rubuiſſe, qui p-
fluendo, pretia mundi ſecum devexit.
Philippus argenteis haſtis fortunatiùs pug-
vit, quàm miles hic rudi, & incultâ. Q-
enim? Bellator ille urbes, copiasq; hoſti-
hic cor Divinum expugnavit. Adeò fel-
ter

ter deliquisti Longine, postquam è delicto coaluit decus, & ferocem fuisse intra gloriam stetit. Quamobrem meritò appellabo, facia* hoc perinde fortunatum ac funestum. Sed cùm DEVS conticuit, ore tantumq; aperto, & pectore perorat, & corde, concludere libet dictionem. *Dixi.*

ORATIO QVINTA.

PASSIO CHRISTI
Crimen militare.

Nunquam de Te Rex dolorum cogitare possumus, quin simul sese menti offerãt universæ contumeliarum, pænarumq; imagines. Siquidem lora, virgæ, spinæ, cruces, lancea, Te in memoria nostra comitãtur; palatia quasi theatra vitiorum, curiæ tanquam arena fatalis, aut catasta justitiæ, noxiæ publicis rebus dissimulationes, corrupta studiis partium, jus & fides obversantur animo, mors ipsa, crudeli, sacrilego, impio, ferali simulacro sese in animum intrudit: omnis pæna subintrat mentem, ut implammet terreat, confundat, propè enecet orationem. Quamvis autem supplicia patientis DEI, fuerint crimen non unius Hierosolymæ, sed omnium ætatum, ordinum,

 adeò,

adeò, ut neq; nos qui primum nunc in vivis spiramus, citra Deicidii piaculum exstiterimus, priùs interemptores, quàm viventes, sacrilegi, quàm homines, morti addicentes, quam mortales, tanquam ex ipso nihili abysso protulerimus manum ad necem Domini, illudq; carmen, quod Pöëta de Gigantibus commentus est, induerimus veritate:

* *necdumq; creati,*
Iam dextras in bella parant, superosq; lacessunt

audebo tamen, utcunq; absolvere à reatu tam immani universitatem mortalium, dum divinam mortem scelus militare demonstravero.

Quid enim in illa pœnarum atrocitate aut cogitatu funestius, aut immanius dictu est, quàm Majestatem æternam obsideri, capi, vinciri, raptari ad tribunal, objici furori judicum obnoxiorum? quid crudelius, quàm ita verbere lacerari, deformari vibicibus, ut in omni corpore nusquam corpus appareret, scenicâ Regem indui purpurâ, ut exueretur hominis etiam, sani nomine, aculeato diademate transverberari, ut plurimæ mortes unum intra cerebrum sese cum spinis penetrarent, atq; tenuibus quidem, sed acerrimis telis, mortales ictus, per illud

sapi-

* *Claudianus in Gigant.*

ſapientiæ ſacrarium diſpenſarent, utq; ſemel multoties innocentiam enecarent? Non illud truculentum, efferum, atq; ultra immanitatem nefas, fatiſcentes humeros patibulo onerare, ut innocens patibularius, in ſupplicii faſtigium, ipſe ſibi deferret ſupplicia? cruci demum ſuffigi nudum, tandem ex verberum atrocitate ſpiritum oris Divini exſpirare, vitam emori, deniq; in exanime latus ſævire lancea, & ipſammet mortem nova morte plectere, poſtremò nè quid Divinum inter ſceleratos exitaret inviolatum, veſtes, miſerabile illud ſpolium, impia ſortitione in rapinam conferre. Prô quantum facinus! ſed ſimul, prô quanta militum libido! Per hos gradus licentia militaris graſſata eſt, ſeq;, in ſupremum nequitiæ culmen, ex crimine in crimen, ex immanitate in immanitatem, ſed ſemper deteriorem, invexit; donec per tot piacula, ventum foret ad flagitium, quo nullum atrocius. Habet ſuos impietas inceſſus; etſi uno perſæpe gradu (ùt facilis eſt deſcenſus Averni) ſe ad inferos proturbet. Cæterùm numerosè peccatur. delicta rarò incedunt ſolitaria; trahuntur catenata. Iam ſe mihi expandit grande immanitatis, & crudelis veſaniæ theatrum. Videor ſpectare fortiſſimam ad crimina cohortem, quæ ſe ar-

mavit ferro, telis, crudo Pontificis imperio suoq; furore. Armari non satis erat, ivit contra exercituum Dominum perdita manus, quasi is sanctissimo in pectore hostem tulisset, adversus Solymam: oppugnavit innocentiam, propriis jam terroribus expugnatam, tædiis victam, mæstitia prostratam, sudoribus etiam sanguineis, tanquam infesto exercitu fractam. O hortum tot piaculorum feracissimum! ô noctem suis facinoribus quàm devolutis à cælo tenebris obscuriorem! ô vesperem tam mentium quàm caliginis infusæ. Quod enim certamen? quæ, & quàm funesta clades! pro Domino, sua Majestas, & potentia, cùm parùm decertaret, Petrus ense, nec non amore Magistri, tum vincendi fiduciá armatus dimicabat: jam contra DEVM cohors Præsidis, & efferata lictorum colluvies, Ductorq; Iudas in aciem emicuerat. Et viceras Tu dure debellator; nisi vinci libuisset. Eloqui satis erat; dum veluti pulveres difflati halitu oris, suis cum armis procumberet miles, miles ille bellicus, robur illud ad nefanda animosum. Poterant sine loris vinciri, debellari absq; ferro. Sua scelesto crimina, innodant, alligant, constringunt, & ipsa se nequitia profligat. Quid verò corruptæ (sic enim audens proloquar) fidei

quid

quid fraudis ? quid rebellionis ? jam neq; sua pro DEO Divinitas, nec potentia, nec Pater supremus, nec cælestes Genii decertant. Omnia conspiravisse, defecisse ad hostem omnia, non jure dixeris? quando Filium, inter suprema laborantem, luctantem cum ærumnis ac morte, non destituit modò, at etiam sponte ibi suis inimicorum tradit Pater. Robur quoq; Divinum in partes hostium videtur transiisse, & sola penes omnipotentem imbecillitas mansisse, cælestes verò mentes, tantum calicem veneno corruptum, & in hoc mortem propinare: bellator non pridem Petrus, simul ensem, simul animum dejicere, & unicum in fuga præsidium locare: demum, (quis non miretur?) ipse Dominus officium hostis occupare, perturbationum armis, dura voluntate contra se uti, nihilq; sui, relinquere sibi ad tutelam, universa, ut torqueant tantùm, aut torqueantur. Cùm itaq; omnia contagium perduellionis traxit in scelerum partes, quid restat, ô Rex virtutum, nisi ut Majestas solo allidatur, Altitudo divitiarum & sapientiæ, pedibus proteratur, vinciatur Libertas, profanetur Sanctitas, plectatur Innocentia, Vita enecetur? Ita factum: Prætoriæ cohortis manipuli, manus, quæ omnia concluserunt, in vincula; collum, quo Sanctissimi

capitis pondus ſuſtentatur, in laqueum inſeruerunt. Primus hic in DEVM auſus, quo immanes ſicarii, turbulenti laniſtæ, cæteris, quorum imaginem pleno animo circumfertis, ſuppliciis proluſerunt; primus (inquam) auſus. ah quantæ immanitatis rudimentum! à tali crudelitatis tirocinio, quò ſe non proferet inſolens licentia? eluctabitur in culmen, & Calvariæ, & criminum. Intereà DEVS ultionum, inultus, quinimo catenis vinctus, magis autem amore noſtrî, traheris ad tribunalia, ad Iudices, ad probra, ad pœnas; ſed traheris, non ſecus, ac piaculum quoddam. Tu hic Auditor dolentiſſime deplora corruptam judicii conſtantiam, laborantem ſtudiis partium fidem, ſummos etiam Sacerdotes, contra ſummum Pontificem conſpirantes, & ipſammet ſanctitatem arbitris ſacrorum exoſam: ſuſpice depalmatos Domini vultus, & geme; noctem, qua nulla funeſtior, damna, cætera, quæ cogitationi tuæ committo, obi animo flagitia: me in aciem elicit licentia militaris, ut continuati ſceleris immanitatem ſtylo ulciſcar. Fidem hominum Divûmq;! quæ illa rabies? quæ inconſtantia ſæviendi? ponuntur arma, non furor: à ferro, & haſtis tranſitur ad virgas, ad ſpinas; ad acutius ſpinis ingenium torquendi: nuditas inſuper, quæ

plus

plus quàm omnia tormenta affligere potuit innocentiam, in cruciatum virginei corporis exhibetur. Oculorum hìc fidem appello, deinde animorum. Vellem enim Auditores, funestissimum illud spectaculum vestris proponi aspectibus, infigi mentibus, pectoribus condi, pia cogitatione, velut coloribus vivis depingi. Heu me! raptatur DEVS ad columnam, & sic læsa est Majestas, antequam corpus immanitate ictuum discinderetur, exspoliatur veste, Vestiens universa; & sic lancinata est verecundia! alligatur saxo fortitudo, veluti Prometheus caucaso; & sic eversa libertas! virgis diverberatur augustissimum corpus; sic plexa est innocentia! nudum conspici à tot populis, vulnerari oculis, aspectu cruentari, exanimari pudore, non satis pœnarum videbatur! Quid ergo insane Miles expedis lora? quid juvat impie satelles aculeatas depromere catenas, & manum ad ictus fatigare? sua se flagellavit verecundiá, mens ingenua, & rubore, qui carnificinam prævenerat, pudor illibatus, veluti cruentus tortor, reverentiam genarum confudit. Sed quia toto se erubescere volebat, qui pro totius mundi facinoribus erubescebat, amissæq; per nos integritatis detrimenta, in decenti nuditate, ac demum profusione cruoris expia-

piabat; idcirco prodigus non sanguinis modò, sed etiam animæ, vitæq; DEVS, dorsum, lacertos, latera, venas omnes, & latentem in iis Divinitatem propinavit, atq; sic facilitate objicendi artus, provocavit insaniam lictorum, ipsaq; lora ad verbera irritavit. Si decuisset constantiam tolerandi abrumpere silentio, exclamasset inter patiendum:
" spoliate corpus tunicâ, membra nervis,
" nervos sanguine, sanguinem colore, nihil
" Christi relinquite Christo, etiam nudus,
" & exsanguis subvenire collapsis mortali-
" um rebus, eversamq; mundi fortunam
" ruinâ meâ potero sustentare. Quidquid
" mei est, totum in commoda terrarum,
" cæliq; expendo libens. Is ipse qui fla-
" gra, qui columnam, qui pavimentum,
" manus etiam vestras adspergit, vobis do-
" natur cruor, qui certè non amisit pretia
" etsi sacrilegis pedibus, tanquam vile eje-
" ctamentum, fæcesq; proteritur. Felices
" estis crimine: peccavistis ad mundi feli-
" citatem: atrocitas flagitii conscivit po-
" pulis salutem. Neq; mortem, quam
" crudâ meditatione concipit furor, steri-
" lem putare: parens est vitæ.

Intereà milites urgere lora, festinare ictus, multiplicare plagas, lacerare corpus, ipsa vulnera vulnerare, tum cæsis, quàm

cæ-

cædentibus ſimiliores deficere, tantùm non omnem rabiem conſumere. At Dominus quaſi columna tantùm feriretur, *nullo gemitu conſenſit ad ictum*, oppugnari corpus poterat; non poterat animus vinci, at nè vultus quidem dejici mærore, aut fortitudo querimoniis labefactari, minùs autem everti ratio.

Iam ſe laſſaverat crudelitas, cùm innocentiam laſſaret; ingenium tamen immite, ad novos auſus invaleſcebat. Ergo, ut acutiùs delinqueretur, in coronæ figuram, veprium acumina contorſit impietas. Dicta ſcenicæ inaugurationi hora, Divino capiti ſentes impreſſi; quaſi atrocitati foret animus expungendi, quidquid ſapientiæ, quidquid Divini lateret intra cerebrum. Trabea quoq;, ſed ad ludibrium inducta eſt dorſo, manui ſceptrum, quod non ab artificum incude, ſed inter pelagi vada creverat, ingeſtum, inſtructæ per ſannas adorationes, ut honore fictitio violaretur majeſtas. Vniverſa hæc admiſit Salvator, ut ſe probaret Regem dolorum. Quid priùs hìc admirer? dedecora gloriæ! an inhonoros militum honores? an ſcenici Regis, plusquàm Regalem clementiam? opprobrium fuit, purpurã, diadema, faſces deferri; contumelia, in venerationem flecti; benignitas velle illudi.

Nul-

* *Lucanus l. 8. v. 619.*

Nullum perinde sua nuditas fœdavit, ac Christum chlamys histrionica, nec ullum pariter læserunt contumeliæ, ùt DEVM mentiti plausus: tamen nullus Principum ita delinitus est plausuum blanditiis, quemadmodùm Christus paratu ludicro, nec non adversis: non ideo tantùm, quòd percipceret, ardua toleratu semina esse, quæ in gloriæ culmen exsurgerent; at etiam quia clementia condiebat, quidquid furor lymphaticus corruperat veneni odii: & quia spinæ, purpura, arundo, in pretia transibant, quibus regnum, diadema, & vestitum nobis emeret deauratum. Tali atrocitate erudiit se ad crudeliora miles, cui scelerum jus Pontifices, audendi licentiam Præses, Præses iniquam, tam tribunalis, quàm injustitiæ præbuerat. Trabe igitur funesta onerati sunt lacerti; & primùm hic visus est fatiscere DEVS. Tribus digitis librando mundum, terris onustum, diffluentem aquis, àere diffusum, multiplicem astris, ostendit, quod validior esset, quàm ut infinitos orbes appenderet vel uno pollice, & quasi per ludũ indefessâ virtute sustineret. Sub cruce perfusus est sudore primùm, mox titubavit, tandem procubuit. Ah quàm potens es ad crimina furor militaris? reperisti; quod potentiam, quâ nulla firmior est, non lassare

ſare tantùm, ſed etiam proſternere, & expugnare poſſet. Quanquam animoſum ad infanda ſcelus in tantis rabiem (& hæc dûtaxat defenſio, ſi hoc nomine tegi poſſit, adſtruatur licentiæ) furoribus non exercuiſſet, niſi fortè, ipſemet contra ſe pugnâſſet DEVS exercituum, atq; Divina ex mente, corporeq; ſuam adverſùs Divinitatem tráſtuliſſet ſuppetias, ut hoſtium vires adjuvaret. Libet hìc ingemiſcere, imò detonare contra hominum piacula; non tam enim crucis illa gravitas fuit, quàm flagitiorum! O levitas humana quàm gravis es, quæ DEVM ſolo allidere potuiſti! ſedebatis DEI humero noxæ immanes, potentiam enervabas infirmitas mortalium; quaſi non ſatis fuerit hominem è faſtigio rerum deturbaſſe, nisì DEVM eadem ruinâ involveretis. Ille quidem per terras reptat; ſed jacentem humi felicitatem noſtram colliget; parùm eſt collegiſſe, etiam in ſublime efferet, & ſua calamitate, publicam refinget fortunam. Ite lictores, atq; ſi non omnem ſæviendo, rabiem conſumpſiſtis, reliquias furoris ſtimulate, colligite robur ad nova facinora, in crucem agite amorem, perforate plantas, configite manus, confodite innocentiam, latus tranſfigite pilo: pœnis ſufficiet omnibus negligens ſuî, & tantùm noſtri non incuri-

um

um Numen. Nemo tantum flagitii persuadere potuisset, quantum ipsamet petulantia militaris indulsit sibi, dum in DEVM, ac Divina exerit hostilitatem; ô pugnas! ô victoriam! ô triumphos! Impunè grassatur hostis; innocentia violatur!

Tandem suprema voce edita, labente in pectus capite, pronis in mortem oculis, Vita consensit morti; animus verò à corpore divulsus atro carceri se intulit, ut horrorem inferis detraheret, noctesq; funestas luce afflaret, demùm, ut mortuus redderet vitam mortalibus, libertatem manibus captivis. Ergo umbris gravem invexit triumphum, deinde tumulo, mox cælo invecturus. Sed adhuc inexhaustus amor, nescio, quid sanguinis, & aquæ recondebat. Quamobrem veluti expiaret immanitatem audacior miles, contorsit hastam, & in ipsâ morte sævIit; nè quid inausum sceleri, aut illæsum DEO fuisset. Nec fefellit ictus, manum, hastamq;. Error atrocissimus à meta non aberravit. Vt erat vastissimo ad supplicia pectore, capaciq; vulnerum corde, Vir ille dolorum, pectus præbuit, vulnus excepit, & quod reliquum extabat, profudit. Ita ferocia militaris, suam exercebat virtutem per crimina, ita ad nostram felicitatem robur heroicum delinquebat! Vicisti impie-

tas

tas," debellavisti vesania, egisti insolentia militaris tantum, quantum nec Pöëtæ fingere de Gigantibus, nec Mæzentius contra Deos potuerit effutire. Ausus es barbare furor, quantum nec flumina crepidinibus ruptis. Quippe hæc, etiamsi alvei non meminerint, tamen per montium obices castigantur: te non jus, non æquum cohibuit; omne flagitiorum compendium in unum diem contulisti; patravisti facinus, atrox, horridum, immane, quale nec antiquitas vidit, nec posteri aspicient. Fieri potuisse ambigeremus, nisi fides, & ipsa laborans, factum adstrueret.

Emortuâ jam vitâ, forsitan exspirârunt odia, neq; virus letale sub pectore militari vivit. Miserum me! quæ semel ferocissimè exseruit vires licentia, proficit in ausa. Vtinam te nequitia hominum in rabiem efferasses eam, qua leones in furias concitantur, utiq; prostrato jam Domino, composita atrocitas quievisset. Belluarum ferocia, tumentesq; animi subsidunt, dum corpus prostratum jacet; militum invalescunt. Cùm enim nullus in regalibus membris exstaret vulneri locus, sed sic vibicibus deformaretur DE V S, ut si quisquam laniare voluisset, plagis addidisset plagas. Ecce in truculentiæ locum avaritia successit, ut o-

 mnis

mnis malitia militiam in cognatum voca-bulum detorqueret, perq; omne facinus iretur ad gloriam. Reliqua exſtabat veſtis, ah lacrymabile ſpolium! ah miſerandus dolentiſſimæ Matris labor! hanc etiam in rapinam miles contulit: Non ea quidem lacerata eſt, quemadmodum corpus Divinũ; ſed iniquæ expoſita ſortitioni. Mittuntur ſortes, ut fortunato ſceleri præda ſit textilis toga. Viciſti impietas; triumpha! obtende velum criminibus, non palliabit ſe piaculum enorme; nuda es, tali etiam contecta indumento. Exſurge tamen ferocia militaris, exſurge: utere victoriâ, quam furor, & amentia contulit. Pro lauro ignominiam, orcum pro triumpho, opprobria pro pæane habes. Te omnis ætas, ulciſcetur atrocitate verborum, facinus inhumanum iracundia ſtyli lacerabit, nulla certè ſupplicia vindicabunt ſatis. *Dixi.*

ORATIO SEXTA.

Prodigium patientiæ MARIA Virgo in morte Filii ſui doloroſa.

DEbueras exſpirare toties ô Mater vitæ, quoties in pænas Filii ſtriderent catenæ, lora exſpedirentur, reſonarent flagra,

accu-

accuſatorum perditæ voces obſtreperent, iniqua tribunalium decreta, quaſi fulmina, & aures tuas, & animum ferirent; cùm cæterа deinde ſuppliciorum inſtrumenta plus agerent contra innocentiam, quàm uſpiam contra facinoroſiſſimos: aut tunc ſaltem, cùm vita ſpirare deſiit, aut quando mors ipſa crudeliſſimo ictu lancinata eſt. Huc ille gladius, quem inter fatidicam tuſſim ex oraculis, tanquam ex atrociſſima incude ille Divinæ mentis interpres, vetulus ille Simeon depromſerat, tuoq; pectori olim, ac animæ intentaverat! credite enim Auditores dolentiſſimi Materno in corde fata omnia peracta eſſe, quæcunq; in artubus innocentis rei per cruda ſe præcipitans atrocitas perageret, atq; adeò oppreſſum cor MARIÆ, cùm Filius premeretur, inter verbera, prope diffiſſum fruſtatim, cùm ille verberibus, aut clavis laceraretur, ſuffixum deniq;, ac transverberatum haſtâ, cùm Natus ageretur in crucem, confoderetur q;. Sic enim perſuaſum eſt mihi, quòd non ita ſudarium, ſive lacinia Veronicæ lugentis exceperit fædatos verberibus, cruore, ſanie, ſputis, vultus; ac Virgineum (faciſſimè enim depingit ſe in affectibus parentum calamitas prolis) pectus univerſos Domini cruciatus; niſi quòd libertas animi in-

 ſum-

summæ prorumpentis adstringi non posset, cùm ligaretur Divinitas captiva. Et adhuc post tot vulnera, fataq; superest Tibi aliquid vitæ ô Mater? graviùs, & graviùs resurgũt mala, ut impetu ad sæviendum collecto ferociùs in Te grassentur; attamen sub ictu gravioris fortunæ sic duras, tanquam sexum amiseris tot inter supplicia cordis? Non per lamentationes, & ululatus (ut ferè muliebris dolor consvevit) tumultuatur patiendi contumacia, non fata ulciscitur immodico planctu, sed tanquam attonita malis, aut quasi vivus DEI morientis colossus, stat mens immota, & prodigia naturæ fatiscentis auget fæminea constantia. Si gutta horum manasset in animum, quem emolliverunt prospera, exanimari oportuisset; illa, & doluit supra modum, & vixit. Nemo Patrum, nemo tam fortiter doluit, ùt MARIA. Tantùm abest, ut dicam; Matrem, & humanos exuerat affectus. En duellum ferocissimi hinc doloris, cui grandes ab amore; constantiæ, nec non invictæ fortitudinis inde, cui à cælo, atq; à ratione majores suppetiæ venêre. Quæ nuda narratione (nec enim suadam ornari convenit, siquidem & DEVS nudus moritur) cùm exposuero, accommodato ad materiam stylo, incompositus dolor perorabit.

Ve

Vt probem MARIAM doluiſſe, non eſt adlaborandum: Mater erat. Atqui Parentum affectus ita calamitatibus natorum permutantur, ut quantum amoris olim fuerat in animo, tantum deinceps in oculis lacrymarum, mæroris in fronte, in ſupercilio, vultuq́; , ac imprimis in pectore ſedeat tantum ſqualoris. Quosdam & ſpecies malorum ſic è faſtigio mentis dejecit, ut ſubiret pænitentia fæcunditatis. Vt etiam conſtet, quòd doloris magnitudo modum exceſſit, licèt cauſas explorare. Et primò, potuitne telum aliquod crudeliùs animum ferire, quàm oculis Maternis præſens atrocitas, & ex his in pectus transfuſa calamitas nati? Didicimus plerasq; Matrum ad nuntium de morte ſobolis concidiſſe, nec iſtud tantùm, etiam abſorptas morte fortuita. ô cæli, terræq;, in cujus feritatis colluctatione duravit MARIA! dum oculus in omnium ærumnarum conſpectu collocatus, univerſas ad cor dimitteret, transveheretq́;. Spectâſti atroces lictorum vultus, & in iis letales animos. ſpectaſti ô Genitrix! circumſonabat aurem ſtrepitus virgarum; ſed cor Maternum ſub verbere gemebat! numerâſti plagas, & vulnera. Adfuiſti (ô vulnus animi ultra mortem!) cùm diriſſimè in crucem ageretur,

summæ prorumpentis adstringi non posset, cùm ligaretur Divinitas captiva. Et adhuc post tot vulnera, fataq; superest Tibi aliquid vitæ ô Mater? graviùs, & graviùs resurgũt mala, ut impetu ad sæviendum collecto ferociùs in Te grassentur; attamen sub ictu gravioris fortunæ sic duras, tanquam sexum amiseris tot inter supplicia cordis? Non per lamentationes, & ululatus (ut ferè muliebris dolor consvevit) tumultuatur patiendi contumacia, non fata ulciscitur immodico planctu, sed tanquam attonita malis, aut quasi vivus DEI morientis colossus, stat mens immota, & prodigia naturæ fatiscentis auget fæminea constantia. Si gutta horum manasset in animum, quem emolliverunt prospera, exanimari oportuisset; illa, & doluit supra modum, & vixit. Nemo Patrum, nemo tam fortiter doluit, ùt MARIA. Tantùm abest, ut dicam; Matrem, & humanos exuerat affectus. En duellum ferocissimi hinc doloris, cui grandes ab amore; constantiæ, nec non invictæ fortitudinis inde, cui à cælo, atq; à ratione majores suppetiæ venêre. Quæ nuda narratione (nec enim suadam ornari convenit, siquidem & DEVS nudus moritur) cùm exposuero, accommodato ad materiam stylo, incompositus dolor perorabit.

Ve

Vt probem MARIAM doluiſſe, non eſt adlaborandum: Mater erat. Atqui Parentum affectus ita calamitatibus natorum permutantur, ut quantum amoris olim fuerat in animo, tantum deinceps in oculis lacrymarum, mæroris in fronte, in ſupercilio, vultuq́;, ac imprimis in pectore ſedeat tantum ſqualoris. Quosdam & ſpecies malorum ſic è faſtigio mentis dejecit, ut ſubiret pænitentia fæcunditatis. Vt etiam conſtet, quòd doloris magnitudo modum exceſſit, licèt cauſas explorare. Et primò, potuitne telum aliquod crudeliùs animum ferire, quàm oculis Maternis præſens atrocitas, & ex his in pectus transfuſa calamitas nati? Didicimus plerasq; Matrum ad nuntium de morte ſobolis conciдiſſe, nec iſtud tantùm, etiam abſorptas morte fortuita. ô cæli, terræq;, in cujus feritatis colluctatione duravit MARIA! dum oculus in omnium ærumnarum conſpectu collocatus, univerſas ad cor dimitteret, transveheretq;. Spectâſti atroces lictorum vultus, & in iis letales animos. ſpectaſti ô Genitrix! circumſonabat aurem ſtrepitus virgarum; ſed cor Maternum ſub verbere gemebat! numerâſti plagas, & vulnera. Adſuiſti (ô vulnus animi ultra mortem!) cùm diriſſimè in crucem ageretur,

çùm exſangue, atq; incubantibus fatis jam defectum caput, mentumq; reclinaret, cùm ſpiritus oris Divini effunderet animam, quaſi in pectus tuum transfuſurus. Vidiſti Longinum brachia jactantem, ut latus emortuum trajiceret; & ictum atrociſſimum adverſo corde excepiſti. Nuditas ipſa veſtientis omnia DEI, heu in quantam acuebatur lanceam, quæ virgineam mentem oppugnaret! Si flagra, ſi ſpinæ, ſi clavorum atrocitas non ſæviiſſent in Prolem amantiſſimam, tota mors ruebat in animam tuam per oculos, opprobria coactos intueri. Heu me! ſuprema DEI patientis ærumna obverſabatur præſenti, ſeq; Tibi quaſi prælo quopiam imprimebat omnis; totam interim Matrem cùm ſentires in pectore, nulla facultas aderat levandi angores, aut obſequendi. Vtinam tunc DEVS ille tuus viliſſimum fuiſſet mancipium! nam huic etiam generi mortalium, ſi matres adſint, fas eſt impendi extrema obſequia, labentes, pronosq; in mortem oculos claudi, frigus letale perfundi lacrymarum tepore.

Sentio vulnus MARIANVM, ſentio Auditores. Etenim ſuccurrebant animo priſtinæ voluptates, ac deliciæ, quibus tota diffluebat, cùm gremium expanderet Infanti, cùm ubera poſcentem nutriret, & jure

Ma-

Materno, affectuq; oscula libaret DEO: obversabatur illa species, quæ novercis etiam placere potuit. At nunc quid filii in speciosо præ filiis hominum, imò quid hominis in homine isto, tam atrociter concusso, tam enormiter fædato observavit? Heu quantum universa lenocinia à se ipsis degeneraverunt! nimirum basia Materna in ictus apparitorum, sinus Genitricis, in cruces tormenta, in amarorem noxium amores innocui, virginei nectar pectoris in fel, virusq;, in cruciatus, crepundia. Quinimò veteris infortunii (ùt erat frequentissimum) recens imago jam felicitas videbatur. Cùm enim (ùt mittam alia) Herodi, mortiq; eriperet Puerum, complectebatur manibus, fovebat in sinu, ab ubere suspendebat. Si gladium apparitor adegisset in membra, quibus vix locus erat ad vulnera, utiq; in gremio Matris occubuisset natus, Matrem perfudisset sanguis, fuissent pretia fatis. Interim in ferali arbore, inter atroces lictorum manus, vultusq;, atq; in societate commorientium indecora exspiravit.

Quanquam & illud omnes convellebat fibras, intimasq; & cordis, & animi latebras pervagabatur, quòd DEVS occideret mortis genere, quo pereunt nocentissimi: Quid enim crux, nisi supplicium sceleris per-

niciosissimi? labes nominis æterna? dum solo attactu illius impiari, contaminari, execratione homines devinciri crederentur. Næ Tu Rex gloriæ, fons sanctitatis, omnium apex facinorum, generis humani pernicies! næ Tu sacrum, & votumq; caput, & dedecore maculosum. qui sic plecteris? ô crucem, Materni cordis immanissimum cruciatum! ô fidiculas animæ! ô famæ catastam! Tamen leniùs fortè oppugnâsset cogitationes turbine hoc jactatas procella fati, & si lacrymas non suppressisset, abstersisset saltem, si complorantium multitudo lacrymas adjuvisset Heu nihil erat, ubi se dolor gravissimus inclinaret! Fidissimos iniquitas fortunæ abstulerat: nonnulli, sed quàm pauci, duravere inter adversa, quos pariter calamitatis indignitas sic consternaverat, ut prope exanimaret. Non tam enim mærere, quam commori videbantur. Illi compescerent luctum, aut moderarentur, quorum oculi fletu gravissimi, ululatus ad indignationem prolapsi, potiùs irritabãt tristitiam, non medelam vulneri applicabãt.

Utinam inter lamenta Matris, verba solatiorum (quanquam hæc etiam accendunt mentis ægritudinem, non mitigant) à virorum gravissimis proficisci contigisset! Si gratulationes festæ adstrepuissent, quòd cum

for-

fortunatissima Parens genuerit Patriæ, qui non patriã modò funere suo, sed totũ mundũ sustentârit, utiq; luctibus, atq; lacrymis dignitas aliqua accessisset. Fortè enim tacita agitavisset, Filiũ amisi; sed jacturã pen- „ sat publica beneficiorum confessio. Mul- „ tum mei sanguinis, ah multum! profudit „ Filius, ô liceret affundere, quidquid illi- „ us, in venis reliquum meis natat! Satis „ factum utcunq; reor tot impendiis; en „ grati cives, quantum acceperint, fatentur. „ Largiendi provocat alacritatem grata ac- „ ceptorum memoria. Si (inquam) gra- „ tos inter cives constituta plausum excepisset Mater, aut asserti orbis tripudia vindici suo fuissent gratata, prostratus infortuniis animus forsitan se in gaudium erexisset, ipsa calamitas suis applausisset damnis, fuissetq; volupe, nati sanguinem litare publicæ felicitati. Sed cùm nullus palàm auderet mœrori tanto occurrere, quin mordax petulantia beneficiis insultaret, heu quantũ vulnus proterva cæcitas, quantam dissimulatio gratiarum, plagam impingebat? Si enim auget vires doloris, atq; infortunii, qui insultat pœnis, quamvis hæ pro crimine infligantur; non ultra mortem injuria cadet, si innocentiam livor onerat contumeliis, aut insontis supplicia ludificatur?

Consulite vestros hac in parte affectus Auditores: jam cætera intacta vestris cogitationibus reliqui.

Libens autem prætereo, quòd cuncta vota, & præparatas in senectutem spes, quas, cùm educant prolem parentes, longè ante se agunt, Mater hæc projecerit, causaq; suâ ne quicquam doluerit, quòd Christum non suarum rerum columen, sed publicæ felicitati sciret destinatum esse. Si tamen acerbitatem mali contentiosiùs exaggerarem, dici oporteret: nulla matrum atrocius unquam accepit vulnus, quia nulla unquam funus extulit majus. Vno hoc sublato, omnia sublata sunt decora miserrimæ orbitatis, omnis sanctitas violata, dignitas concussa, quòq; majora hinc ingratissimo generi mortalium commoda proveniebant, eò crudeliores pectori plagæ inflictæ sunt. An enim istud animo nō volvit Virgo perspicacissima, & futuri ultra quàm præscia?
" Pleræq; matres dum filios ad bella mittunt, totidem jaculis & se, & natorum pectora oppugnari credunt, quot vix in omnem exercitum distringit, expeditq; hostis: cæterum mæror spe victoriæ diluitur. nam & reducibus è bello occurrit fiducia metu confusa, & ante reditum venientes salutat, lauros etiam, & deco-

ra periculorum profpectat amor, fperans ,,
omnia, fingensq; . Ego neq; redivivum ,,
filium, quem paucas poft horas ab urna, ,,
& à fqualidis umbrarum cubilibus præ- ,,
ftolor, nec triumphos, fpoliaq; plusquàm ,,
opima fpectare potero, quin fimul rede- ,,
ant in memoriam, mentiq; fe gregatim ,,
offerant calamitates; vereor, nè & læti- ,,
tiam confundat iniquitas pænarum, etfi ,,
enim radii complebunt manus, pedes, la- ,,
tus, olim forata, feq; lux transfundet in ,,
vibices; fed animo hærebunt meo clavi ,,
lanceaq;, nuper crudelia, pariter (quis ,,
enim fidat affectibus?) metuo, nè prifti- ,,
ni recordatio mæroris lacrymam eliciat, ,,
& fe plaufibus immifceat contumacia do- ,,
loris, non fatìs edomiti. Brevì ille ab ,,
explicito bello, & triumphatis inferorum ,,
regnis revertetur, reducem afferta cin- ,,
gent legiones, & mortis præmia trium- ,,
phus erit, omniumq; feculorum falus; ,,
effufi Patres, reducti captivi circa latus ,,
meum exfultabunt lætitia, occurrentium ,,
tripudia Divorum implebunt aures, mox ,,
& curuli nube magnificentiùs, quàm cur- ,,
ru triumphali in patrium cælum revehe- ,,
tur, fequentur agmina vindicatorum ,,
innumera, lætus undiq; exercitus victo- ,,
rem claudet, effufi obviam cælites ibunt. ,,

Pau-

" Paucæ enim se interjicient horæ, cùm
" Christus totam relinquet mortem, & an-
" te me subitò discussis consistet tenebris
" non ille pallens, non acerbo languore
" consumptus, nec qualis in foro, aut super
" crucem videbatur, sed viridis, sed side-
" ribus clarior, & sanè pulcher habitu.
" Nec autem inani persuasione, nec vano
" lugentis errore, phantasiâq; fictæ idolum
" umbræ advolabit menti, quemadmodum
" tenues rerum imagines solent cogitatio-
" nibus accipere corpus, cùm ludicræ ab-
" senti animo cogitationes finguntur. Non
" agitabit incertos levis imago somnos:
" sed filius erit, & qualis olim, blandissi-
" mus, verusq;. Nec aspici tantùm, vi-
" deriq; contentus aderit: satiabor osculis,
" satiabor amplexibus, & colloquar, & au-
" diam. Decora hæc, & voluptates tan-
" tò auctiùs provenient cùm repetet cælos,
" quantò æquiùs est, Principem in regna
" sua regredi majore cum triumpho. Non
" hæc spectacula reliquias mæroris degere-
" re possint? ego multum solatiorum perdi-
" di, recrudescente, etiam quæ cesserant,
" malorū sensu. Namq; cogitabo: hic ille
" sic coruscat, sic gloriosus emicat, quem
" nuper vulneribus obsitum, notatum de-
" decore lugebam! Ergo nec victoriam
Filii

Filii ſpectabo ſine fletu. Nemo homi- „
num, Divorumq; coram me de gloria „
Nati loquetur, quin gaudia reducant ca- „
lamitatem.

Longiùs proceſſit narratio dolorum, longiùs autem? quaſi verò funus luctuoſiſſimum, aut noctem, qua graviſſi num erat, Matrem carere Filio, etiam mortuo, perſtrinxerim. ô geminum uno in feretro, uno ſuo lapide funus! lacrymis perfudit luctoſa Filium, dum alii opobalſamo, cæterisq; unguẽtorum liquoribus, quos ſuperbia parentantium, vel pietas in uſus funereos redegit: compoſuit in ſandapila corpus lacerum quidem, & animo caſſum, ſuo tamen Numine haud deſtitutum, vacuumq;. Iacebat DEVS in triſti ferculo mortuus, ſed vivi, ſed integra Divinitate. Sacer hinc horror aliis, MARIÆ novum vulnus, recens & plaga & plangor, ſive contemplaretur corpus merſis lacrymâ, pupillis, ſive illud oſculis miſera tepefaceret. At tantò atrociùs in maternũ pectus incubuere, mæror dolorq;, cum ducerentur exequiæ Vnici, inferrenturq; tumulo, ac tandem obruerentur ſaxo, dum ſepulchro circumdarentur næniæ. Interim ruentibus à cælo umbris quies ſopierat alios, & tacentibus tenebris ſiluerat propinquorum luctus: jam fatigata & fidiſſimorum officia

cia pæne defecerant, jam mærorem sopor altus vicerat. Parenti mæstissimæ tenebris uti placuit ad gemitum, ad secretos dolores, ad tristiora lugubria. Vnde enim tantis angoribus somnus? orbitas, simul solatia, simul quietem abstulerat. ô palpebras plenas orbitate, & fletu! ô tenebras invisas! ô longam oculis flentibus noctem! ô horas nimiùm prolixas, quas pervigil dolor lacrymis metiebatur! Quos enim planctus, quas lacrymas non consumpsit mæstitia? quoties damnavit noctem, quam tædiis protraxerat amor impatiens moræ?

Singulas orbitatis injurias stylo quis referre possit? MARIA ferre potuit animo, & subigere. Quod enim illud invictæ patientiæ robur? laborant elementa, fatiscit natura, sol mærore in vultum assumpto deficit, è Principis ingenio cætera finguntur astra, & cæcantur: dies medius impallescit, prorsusq; commoritur DEO; nè ferale spectaculum cernat: tellus motu insolito concutitur, dehiscit, & convellitur: saxis etiam dolor, an admiratio vulnera inflixit: tantùm non ipsi, qui tam funesta ausi sunt, naturæ consentiunt tumultuanti: quanquam horum etiam plerosq; pænitentia facti egit in dolorem. Quid est autem quòd Genitrix piissima superstes fatis filii

ali-

alibus ſpiret? Equidem ubi dolor immaniſſimus vivit in corde, pectus involvit atra caligo; ſed mentis ſerenum tot inter ſqualores conſtantia tenet, probatq;, MARIAM veræ Parentem Lucis exſtitiſſe; cùm inter umbras horridiſſimas non defecturum mundo diem parturiret: ruentibus ſaxis non dejicitur ſuo de culmine ratio præcelſa, nec animus etſi Virginalis, etſi Maternus dehiſcit, cùm petras fatum lugubre diffindit. Augeo admirationis cauſas, multos, non è feminis tantùm ſanctioribus, ſed è viris etiam ſola cruciatuum Divinorum cogitatio in eum dolorem præcipitavit, ut non ſuſpiriis duntaxat, aut lacrymis anteactam Domini Paſſionem honeſtarent; ſed vires etiam effluerent, dum altiùs reputantes ſupplicia, linquerentur animo, aliis pectora laxavit, cor etiam rupit pia meditatio. At non genuerant, quem dolebant, obiiſſe: cogitatione, non oculis acceperant vulnera, & indignam mortem; ſola imago agitaverat mentes, non præſens atrocitas. Iuro per Tua mala, per animam luctibus ſtrangulatam, per illos ſanctiſſimos manes numina Tui doloris Mater dolentiſſima: viciſti impetũ mæroris, viciſti, affectus, qui erãt Materni, viciſti ſexũ, viciſti exẽpla dolentiũ, duritiã ſaxi, totã imò naturã tantũ

non

non ipsum, qui Divinè patiebatur, Filium vicisti. Quid enim insolentiùs orbitas infelicissima egit? num se animus inpotens sûi, per querelas, & femineos ejulatus temerè jactavit? num angor evertit rationem? aut suppressus taciturnitate in furorem se exercuit brevi expromendum? planctibus, atq; lacrymis pro telo usa est; sed parciùs, nec enim sibi permisit dolere tantùm, quantùm affectuum lucta, & damni posceret magnitudo. Mirum hoc! dolore nihil est apud miseros potentius, præsertim si orbitas muliebris, quæ ad lamenta, nec non ad lacrymas potentissima est, emicat in magnam colluctationem cum adversitate. Parens hæc ausa est etiam sperare non mortalia, cùm vix spiraret. Nimirum nocte illa, quàm Christus Divini gloriâ triumphi illustravit, insomnis, & quieta, & animo in spes non humiles erecta duravit, cùm diceret. jam statim veniet, jam statim le-
« gem fati, & tumulum effringet, jam sta-
« tim apparebit. Ecce jam propè medios
« sidera tenent cursus; & necdum erupit
« ex urna? Quando venies ô Nate? jam
« debebas & mortem vincere, & tædia æ-
« terna. Sed venies; sed apparebis; priùs
« Tu, quàm Sol luce conspicua clarescet.
Omnia hæc Auditores fortitudini, & eve-

ctæ

ctæ ſupra caſus menti referenda ſunt. In-
ſuper ad tantarum injuriarum motus colla-
bentem animum, ne prorſus concideret,
conſiliis cæli ſuſtentavit. Tacita enim „
verſabat: ego pro Humanitate ſolicitior „
ſim, quàm Pater pro Divinitate? haud „
convenit: æqua ſorte diviſimus Natum: „
æqua mente feramus jacturam. Atqui „
ſummus ille Parens ita ſuppliciis objecit, „
quaſi diſſimularet Filium. Diviné ut mi- „
nor Genitrix agam, cum cælo, atq; ſum- „
mo Genitore ſentiendum eſt. Ita ſi op- „
primi non poterit, poterit premi vehe- „
mentia doloris, & ratione componi va- „
lidiſſima tempeſtas. Quin etiam impe-
tus generoſæ mentis huc prorumpebat, ut
totam orbitatem in publicæ cōverteret com-
moda ſalutis, Illudq; vel modeſtia perſua-
deret ſuis luctibus, quòd terrarum felicitas
ſibi quoq; demandaretur: demum hanc ne-
ceſſitatem imponeret æquanimitati, ut quē-
admodum Salvator occumbendo ſuſtentabat
mundum, perinde MARIA moderatiùs do-
lendo. Et poterat utrumq;. Nemo pene
tam invalidus eſt, qui ruenti mundo non
poſſit aut lacertos ſupponere, aut animum;
cùm & tolerantia durorum fortis ſiſtat ru-
inas. Porro (ut paucis tandem plurimum
de conſtantia Virginis complectar) dico Pa-

rentum dolentiſſimam, quòd expugnari aſ-
ſultibus malorum nequierit, habere grati-
am hanc perpetuæ calamitati. Nullus tam
contumaciter ſævit dolor, cujus feritatem
non mitiget, atq; in obſequium rationis ver-
tat, penitusq; demereatur, & vincat aſſidu-
itas mali pertinacis. At verò deditnè uſ-
quam matri huic fortuna vacationem à gra-
viſſimis luctibus? non ſemper in adverſo-
rum incude ſub duriſſimis calamitatum mal-
leis cor verſatum eſt MARIÆ, ut ſe du-
raviſſet in atrociores, & atrociores pænas?
non per calamitates anni fluxerunt? non
vita inter lacrymas effluxit? Natum vix in
vitam excepit ulnis, iisdem in fugam col-
legit, animus inter vaticinia Simeonis tripu-
diavit gaudiis? illico ſerenitatem mentis
procella turbavit, quam devolverat ejusdem
perinde crudum, ac verax augurium, totamq;
effigiem ſequentium fatorum animo impreſ-
ſit. Hìc enimvero vulnus immaniſſimum
non ſummam cutem rupit, ſed pectus, &
viſcera diviſit. Ex iſto impetu necdum
cecidit mæror, ecce livor inſidias Filio ſtru-
it, dum ipſamet beneficia perniciem puta-
ingrati meritorum æſtimatores. Hinc re-
novat ſe, & corroborat quotidie luctus,
ſed quotidie recens, penitusq; defeſſos ex-
haurit oculos. Attamen conſtantia per gra-
dus

dus malorum sic processit, ut in supremum æquanimitatis fastigium se extulerit. Nimirum perpetuis exagitata infortuniis, eas sibi vires patientia paravit, ut superatis, quæ ingenti quidem agmine ruebant, sed tãquam præludia, minorq; velitatio ærumnis, deinceps cum summis confligeret victrix. Nihil uspiam calamitosius DEO patiente Sol aspexit, & nihil fortius MARIâ, tot inter ictus integrâ mentis. Itaq; Parens hæc inter universas matres, quæ pios aliquando deploraverunt filios, eminere, atq; principatum quendam mæroris generosi occupare videtur, non differentiâ tantùm orbitatis, sed lugendi quoq; novitate, & coërcitis ratione affectibus. Quis jam non meritò vivum DEI morientis colossum nuncupet? imò quis nuncupet? Fulmina, aliæq; injuriæ cæli persæpe statuas ita afflaverunt, ut everterent, & demolirentur: cor MARIÆ innumera fulminaverunt fata: illa stetit, vixitq; ad pænas, ab ipsis animum damnis resumens: stetit (inquam) sub cruce, mente magìs, quàm gradu immobilis.

Quamobrem (si libebit) appellate prodigium patientiæ, appellate spirans constantiæ simulacrum. *Dixi.*

ORATIO SEPTIMA.

Trophæum DEI triumphantis Crux Sanctissima.

TOta nuper, veluti parentaret morienti DEO, aut eodem fato exspiraret, conderetur tumulo, obrueretur lapide, quo vitæ Auctor, ita concussa, convulsaq; est natura, ut omnia elementa emori, spiritus cuncti exspirare, lumen omne exstingui videretur. Mæstitia cælos asperaverat, solem pullato horrore induerat ferocior scena, durissimum saxorum ingenium emolliverat dolor, terram emoverat de sede funesta clades: omnia perturbaverat fati insolentia. Sed jam convalescimus; iterum sibi restituitur universitas rerum. A funere, & morte enatavit DEVS? DEO consentit mundus, & communione vitæ afflantur, quæcunq; gemitus strangulabat. Quod interim admirationem concitat, ipsamet dedecora (quis sperabat?) in decus transfiere. Triste illud spectaculum, quo nihil lacrymosius flevit pietas, nihil execrabiliûs impietas oppugnavit, triste (inquam) spectaculum illud, DEVS, utiq; patibulatus, utiq; anathema populorum, jam templa habet, & divinos cultus: adoratur à gentib⁹,

quem

quem gentes, furore, & odiis agitatæ, vitâ exuerant. Summa hæc gloria; sed magnitudo actorum minuit causas admirationis. Divinitas, quæ, dum Salvator superstes terras beneficiis perinde, ac magnifico gressu peragrabat, sepulta videbatur; sed postquam discussa mortalitate, humanas etiam vices exuit, seq; supra legem fatorum, supra tumulum erexit, jam triumphalis ita per terrarum orbem, per hominum mentes, radios effudit, ut Christum ignorare, pene eadem sint, ac Solem. Quos ea lux effugit, talpæ sunt; quia terra cupidine excæcati, terræ, lucris, voluptati immerguntur. Qui se ad saniora consilia receperunt, in sole vivunt, & irriso nuper, contemptoq; Numini colla summittunt. Quis verò non obstupescat, quòd etiam contumeliæ honoris titulos occuparunt? Siquidem ea, quæ ludibrio fuerant, læserantq; damnatum Numen, supplicia in decus versa, calamitates in felicitatem, in gloriam probra, sic DEO triumphos pariunt, ut de sua quoq; vilitate triumphent. Damnosissimum illud, juxta ac ignominiosissimum pænarum instrumentum crux erigitur in trophæum, publicam religionem, & affectus meretur, adoratur, genu pronissimo, fortissimos etiam Heroas, magnosq; Principes pro tutela sui

concitat ad bella, multo sanguine, & mortibus asseritur. Quod verò nostram exaggeret felicitatem, transiit in munimentum, dum vel digitus in crucis formam productus stygia terret terriculamenta. Per singula se non diffundet oratio; sed ut paucis plura complectar, dico crucem trophæum DEI triumphantis gloriosissimum, & tam modò supra omnium honorum fastigia, quàm olim procul fastu esset.

Neq; enim hoc apparatu vexit se triumphus Assertoris hominum, quo olim debellatis hostibus superbia victorum. Currum, quem magis jactantia inanibus exsultans, quàm Imperator compleret, inauratum, quandoq; aureum, gemmatumve candidi quatuor equi trahebant. Dum Heliogabali pompa in urbem intraret, junctum temonem (quæ feritas!) semel quatuor canibus, postea tigridibus totidem, vidit, & inter plausus derisit populus. Aurelius quatuor jugalibus cervis, at Pompeius, (alios mittam) elephantis Capitolium adivit. Cùm modestiùs Roma plauderet, pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma, ingens spectaculum erant. Post Pyrrhi cladem, eadem urbs aspexit in triumpho, quas timuerat cum turribus suis belluas; dum captivi elephan-

tes

tes non fine fenfu captivitatis fummiffis cervicibus victores equos fequerentur. Mox crefcente ambitu, atq; animis fupra humanum faftigium elatis, aurum, purpura, figna, tabulæ, & multæ inter fpolia deliciæ, etiam devicti Reges, eorumq; familia ducebantur. Interim ferebant fe obviæ tripudiantium catervæ, cantu omnia, & feftis acclamationibus perfonabant. Victores autem tripudio læti, devictarum gentium nominibus fuos titulos onerabant, converfasq; in fpectantium aurem tubas inflabant. Terrarum orbem lacerari oportebat ad ambitionis vocabula, dum Coriolani, Africani, Afiatici, Germanici veluti renafcerentur, ex cladib⁹ regnorum fibi cognomenta induerent Imperatores. Speciofum erat confpicuos vefte nivea Senatores, rubeos municipali purpura flamines, excelfos apicibus Sacerdotes incedere, portas virentibus fcenis coronari, aulæis radiare plateas, funalibus augeri diem, legi nomina devictorum, qui duntaxat in amethyftis, topaziis, fmaragdis, adamante, aliisq; gemmis vivebant, quos campus, & gladius abftulerat vitæ. Ita fuo in faftu laborabat victoria! fic tumor (etfi gloriæ nomē adoptaret fibi) admurmurationis lætæ, & popularis auræ venator erigebat fe excidiis urbium, prope in cælum faliebat

per colla, & ruinas gentium eversarum! At satis, est, debellavisse hostem: cur ambitio calamitati insultet, infortuniaq; miserorum ducat in triumpho? Non gloriosiùs est protritis æmulis, suam quoq; profligare superbiam, & tam clementia, modestiâq;, quàm ferro triumphare? At quàm paucos recitant historiæ, qui non ideo magis vincere studebant, ut triumpharent; pauciores, qui lauros superbia non contaminarent; paucissimos, quibus sola vincédi gloria sufficeret! Sed dum currus, & fercula detrectarunt, speciosius erat omnibus carpentis, altius colossis, eminentius trophæis triumphos noluisse. Illi cervicibus belluarum, & sublimi sella supra cæterorum capita surrexerunt; hos fama, hos gloria, hos favor posterorum supra ipsos triumphatores vehit, & ad sidera contempti gloria triumphi tollit.

Istisnè Victorem DEVM adnumerem? Hìc quoq; triumphos agitavit non sine trophæo, pompaq;, sed cui nullam unquam parem aspexit orbis. Prisci illi triumphatores, quibus plaustris Capitolium, aut regias adibant, iisdem in caliginem oblivionis ingressi, si adhuc per posterorum memorias vehuntur, istud non curribus suis, non elephantis, non equis, sed Musis debent.

Num

Num currus Æmiliani, aut alterius apparatûs reliquiæ, studia Principum fatigant, ut defossa eripiantur terræ, promantur in cultum, pro aris suffigantur, radient auro, gemmis adornentur? Didicimus Pompeium sic de piratis, Asiâ, Ponto, triumphum agitâsse, ut nundinas videretur proponere, ubi & se, & erepta gentibus, Regibusq; spolia oculis admirantium superbia venditaret. * Ferebatur lusorius cum tesseris alveus, cujus latitudo 3. longitudo 4. pedibus excurrebat, gemmeum opus; sed cui duæ duntaxat gemmæ suffecerant. Ferebantur & vasa ex auro, gemmisq; fabricata, quæ novem abacos instruerent: aurea deinde simulacra Minervæ, Martis, & Apollinis, quasi Deos etiam in triumpho duceret arrogantia, exhibebantur, & coronæ 33. natæ ex margaritis. Pulcherrimum erat spectare ferculum, quod assurgebat in montem, auro, quasi filicibus duratum, ubi velutis spatiantes cervi, necnon leones visebantur, sed & horum feritas mitescebat in obryzo & illorum formido in fugam exserta eâdem massa tenebatur. Circumquaq; mala, qualia Hesperidum hortis affinxerant Pöetæ, oculos pascebant; cuncta hæc circumdabant vites aureæ, tanquam maturum mox autumnum promittentes, unde curiositas vel avidissi-

F 5 mam

* Plinius l. Historiæ Naturæ

mam spectandi sitim explevisset. Sed maximum inter omnia triumphi miracula spectaculum erat Pompeius, & majestate, & vultu venerandus: à quo tamen reflectebant se oculi admirantium in imaginem ejusdem. Enimverò dum effigies oris magnifici suspiciebatur, carbunculis, adamante, sapphyris, pyropis, omniq; naturæ prodigio collucens, toties pretiosior videbatur & ipse Pompeius: rursus cùm à gemmis redibat aspectus ad triumphatorem, omnia gemmarum pretia vilescebant, & vulgus credi poterant; atq; ideò inter summas opes, & potentissimum Ducem de utriusq; pretio dubia judicia pendebant. Mihi verò hanc divitiarum copiam meditanti, placet iterum sciscitari, de tot opibus, & trophæis quid restat? vel sicubi fragmenta in superbos usus concesserunt, quid adoratur? suas avaritia reliquias non cultui servat, sed noctibus, sed desideriis, quæ nulla satiet facultas. Quæ habendi cupido, vel incuria, tempusve abscondit, num solicitudo, aliàs immensa perquirit, ut triumphus renovetur, aut trophæa religio sacret? Jam verò durissimum illud quondam tormentũ, postquam in trophæum fortitudinis, aram gloriæ, theatrum amoris degeneravit, tanta sibi pretia conflavit, ut etiam sanctitati

votorum avaritiam injecerit. Anni fluxerant 180. dum salutare signum non terrâ profundiùs sepultum, quàm oblivione delitescebat. Quò magis memoria supprimeretur, sanctissimum pignus mole marmoreâ, necnon fœdissimo Veneris simulacro premebatur. Attollebat se incestus, & tam nomine infamis DEÆ fœtus, quàm superbus arte lapis; adhuc in marmore vivebat flamma, saxeumq; frigus accendebat Paphius ignis. Tellus interim gremio grãde depositum fovebat ad amorem, & publicos honores: donec Helena Magni Constantini parens cœlesti monito excitatur in somnis: scrutaretur soli viscera, investigaret Crucem, eriperet tenebris, proponeret venerationi. Quæ deinceps cura animum Augustæ versavit, ut nulli impensæ parceret, dum erigitur templum, dum aris splẽdor, & majestas consciscitur, & portio crucis includitur argento? Nullius matronæ studia sic laborant, ubi

- - - - pectitq; comas, & volvit in orbem,
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput, *

ut supra vertices hominum attollat *frontis honorem, suggestumq; comæ*, ubi mundum componit muliebrem, formam ex arte polit, faciem effingit ad voluptates, lævigat ma-

* *Iuven. Sat:*

las; aut minio, cerussaq; permutat, & mille veneres in vultum advocat, ut emendati oris speciem vendat oculis. Nullius (inquam) sic studia laborant, quemadmodum Helenæ sudavit industria, proferendi tam vastè honores Crucis, quàm & ipse Sol excurrit. Etenim ex Oriente reliquiæ trophæi Divini navigaverunt in occidentem: parùm est navigâsse, etiam templo donatæ sunt adnitente Augusta, iisq; honoribus evectæ, quos & Pompeii triumphus non meruerat. Postquam enim imago victoris è margaritis pretium duxit, viluit nomen. Siquidem lapides pretiosi ita vapulant crisi, ut magni gloria deteratur. Quæ non objecta sunt fortunæ tantis auctibus luxurianti? hucusq; (quod solùm impune contra potentissimos ingenia possunt, dum jam potentia, fastusq; morte conquievit) calami stringuntur, ut qui gentes expugnaverat, oppugnetur, laceretur ambitio, insultetur sumptibus arrogantiæ. Sic illa regio honore grata facies, illius probi oris venerandiq; per cunctas gentes dignitas, severitate victa fingitur è margaritis? verior hic luxus quàm triumphus. Quàm diuturnum vixisset cognomen Magni, si virorum more triumphasses, gemmis verò, tam prodiga re, & feminis reperta, augustos obrige-

gescere vultus, & honorem eximiæ frontis adscita mentiri voluptate abstinuisses! Sic te pretiosum videri putabas? nonne illa similior Tûi est imago, quam Pyrenæi jugis imposuisti? credebaris tunc æquavisse nonmodò Alexandri magni rerum fulgorem, sed etiam Herculis prope, ac Liberi Patris, Sicilia recuperatâ, Africâ totâ subactâ, & in ditionem redactâ, magni nomen, spolium cepisti: cùm molliter triumphando jactare opes libuit, tituli gloriam detraxisti. Nihil perinde Heròis corrumpit Majestatem, ut decus effeminatum. Viris haud convenit, quod sibi gynæcea levi meditatione invenerunt. Ita victorum curribus dedecora vehuntur! sic trophæa contumeliis coronantur! Quàm augustiùs providentiâ cæli actum est, quòd dum Imperatorum *gloria, utiq; vanam, & volatile quiddam, auraq; mobilius* * suis cum splendoribus vanescat, triumphus DEI hucusq; se invehat, vires etiam sibi ex tempore omnia corrodente, aut enervante, colligat. Pompeii vultus rigidus margaritis, cachinnus est; opum tam pingvium vestigia quæ restant? facies autem Salvatoris, quàm olim ex verberibus lunda, turgidaq;, oculi quàm sputis, & lacrymis suffusi, malæ etiam ex pugnis quam lividæ, informesq;, tam modò Majestate,

* *Senec: Epist: 123.*

radi-

radioq; plenæ. Ipsa etiam deformitas, quàm atrocitas, pœnarum consciverat, nùnc ita provocat Sanctos amores, qualiter nunquam facies emptæ.

Defluxerat Oratio à Crùcis honoribus ad speciosissimos Christi vultus, verberibus quidem, ac livore mutatos, sed meliori dignitate sibi restitutos: tempus est, ut memorem Sanctissimæ Arboris captivitatem. Neq; hæc indecora est; etsi annis 14 protracta. Et sua DEVS supplicia suppliciis damnat; ut quibus ipse gradibus in gloriam eluctatus est, ijsdem instrumenta pœnarum enatent ex humili. Credebatur, opibus dũtaxat, aut puncto terræ, vel honoris, Martem irritari. Hinc illis gloria; quia digna censebantur, pro quibus arma corriperentur, itinera clauderentur latronibus, maria prædonibus obsiderentur, terræ gravarentur copiis exercituum, horrore castrorum gentes in mutuam cladem armatæ dividerentur, ac tandem humano sanguine maderet Orbis. Ecce & salutare lignum suggessit causas præliorum: ecce & pignus salutis humanæ, stimulus est irarum, necnon furoris bellici fomentum. Primò quidem, ut Reges barbari armarentur, prædamq; belli, & victoriæ præmium facerent Crucem, non pietas, non Religio concitavit gladi-

us;

os: impietas, qua perinde sacra ac Numé optimum oppugnaretur, moverat certamen. Constabat præterea, cruce ereptâ, haud superesse præstătius, quod Christianis eripi posset. Revulsi sunt clavi, ipse etiam Christus ligno pænali detractus; sed pretia Divinitatis adhæserunt, postquam in eo se DEVS exinanivit. Vt deinde Imperatores piissimi, Sacratissimi Duces bello repeterent Crucem, pietas, cultusq; persuasit, Indignissimum videbatur, si quid de trophæis Christi concederet hostibus in partem triumphi. Iam mihi vel in ipsa memoria recrudescit armorum potens, impotentissimus sui, Dominator Persarum Cosròés. Quæ ferri licentia? quæ libido evertendi orbem, ut Orbi latiùs imperaret? Omnia pene nascentis solis cubilia pervasit exercitu infesto, ut omnia pessumdaret. Lugubri excidio Hierosolyma strata est, nonaginta millia Christianorum Iudæis ideo tantùm vendita', ut crudelissimè necarentur. Prô feritatem & omnia humanitatis jura egressam crudelitatem! Quis vel pro bellua solvit pretium, ut sola nece satiet se rabies feralis?. Luculenter itaq; patebat, Crucem in hostium venisse manᵒ, cum omnia calamitatum agmina toto se impetu præcipitarent. Capta namq; est, & Ctesiphontem abducta, Altissimum He-

ra-

raclio vulnus impressit, pene cruciavit intimos animi sensus ea captivitas. Licèt enim luctuosissimum esset intueri Asiam igne, & ferro jacentem, deplorare Libyæ direptionem, attritam obsidiis Chalcedonem spectare, Thraciam impunè vastatam desl re, alias in cineribus quærere Provincias, omniaq; fatis concessa, queri; jactura tamen ligni salutaris mala omnia superabat. Iniquissimum censebatur, servitute mulctari arborem, per quam genus humanum asseruit in libertatem vindex publicæ salutis DEVS. Quantum igitur cum sua fortuna questus est Imperator, quòd non ipsum pariter perdidisset? Minus exitii credebatur Principem amitti, quo melior eligi potest. Arbore ista, quæ suis in fructibus salutem peperit mundi, quid melius?. Hac meditatione, exercitu deinde multo, sed maximè Crucis amore se se armavit in Cosroëm; cùm reputaret, haud perniciosiorem illo incurrere hostem, qui crucis esset hostis. Dictu mirabile! Heraclius volvente fortuna plus quã omnibus procellis, etsi atrocissimè sævirét, jactatus nuper, spe pacis, quam votis, pretio, precibus, emebat, dejectus, brevì ad portum felicitatis applicuit ratem. Credetis? annos septem nisi bella & triumphos Imperator agit: at Persiæ Tyrannus per

Arme-

Armeniam, Assyriam, Persidem quoq; , nisi cædendus ibat. Ergò & ille devictus est, & fides, quæ circumtulerat, Heraclium nisi profligari posse, dum Cosroes movit arma. Etenim ille, qui nuper superbia distentus tantùm non è solio cælesti Christum deturbare nitebatur, ut Sol divinos in cælo honores à terris haberet; ille, qui vesano fastu minitabatur, se non priùs in pacis fædera, & jura amici cum Heraclio descensurum, quàm hic discederet à Crucifixo DEO, Seleuciæ cujus muris, se, & fata sua, & ultorem D E V M incluserat, obsidetur, mox (nec enim meruerat pietatem filii qui in divina, humanaq; impiè grassatus est) concitante in furias DEO, Siroën, imperio nati compingitur in vincula, & fame cruciatur Crucis raptor, postremò objicitur sagittis. Sic arrogantia, quæ cristas in cælum promittebat, ruit in Tartara! sic detumuit fastus, & fortuna, quæ prosperis insolescebat, sic impietas cum sanguine, & spiritu malè partas revomuit victorias, Regnaq; avidè absorpta! Priùs tamen coäctus est videre filiorum necem, ut per oculos in animum Patris multiplicatæ mortes dimitterentur, totiesq; novo Rex occumberet fato, quoties proles cæderetur, succubuisti vesania Superis iram evibrantibus in ultionem: cælo propitio

feralis quondam arbor laudibus erigitur in cælum velut ramis. Vt secundarum cum adversis rerum se evolveret ludus, finem victoriarum meritus est cladem fortunatus terrarum prædo. Iacet ergo, qui ferro parcere nescivit, neq; cruore satiari, sed exsultant super stratorum corporum strages, palpitantibus adhuc cadaveribus alacer insistebat, ut novas ex funeribus mortes animo conciperet, jacet: nuper captiva Crux triumphat. Quot illi nomina tunc provenerunt? cum & exuviæ, & spolium, & trophæum, & ferculum triumphale, & pompa posset meritò dici. Nam ut jure belli, ac fæderum eam Heraclius à Siróè repetivit, lecticâ vehebatur in Patriam; sed personante festivo concentu, sed plausu gestientium comitante. Deducta Ierosolymam? lacrymæ, & gaudia reducem salutaverunt. Occurrebant cum voto, quibus amor erat. Hostes ipsi obviam se effundebant, ut mirarentur; nec deessent invidentium suspiria maligna inter acclamationes religiosas. Stetit interim ad radicem montis, mox ejusdem fastigium ingressa est, & hoc ipsum quàm speciosum, quòd ingressa est non quadrijugo curru, & albentibus equis, sed humeris lacertoq; Imperatoris tunc non purpureo; cùm nuditas, aut vile sagulum ve-

nu-

nuſtiùs pompam inſtruere crederetur! Malè, feriata, palmataq; toga induitur, ſi pietas æmulatur opprobria DEI. Ornatiſſimam crede ſcenam, ornamenti ſuperbiam excuſſiſſe. Trabs ergo, quæ portabatur à DEO, mox DEVM portavit, à Cæſare ſuccollata eſt, quaſi triumphator, aut manubiæ ſuperbæ. Quod tripudium? quæ lætitia? Crucem monti, divinâ morte, conſecrato, & ſuo templo, aris, Sacerdotibus, publicæ venerationi; Cruci montem, Templum, aras, Sacerdotes, publicam venerationem reddi?. Viceras tunc pro Heraclio Chriſte! triumphâſti, Trophæa poſcebat victoria! Crux in trophæum erecta eſt.

Vix ulli eminere contingit; quin repetitæ calamitates interdum ſe offundant, veluti ſoli nubes. Heu me! Saladinus Babyloniæ Princeps (1187 annus ſe circumagebat) * Guidonem Luſignanum, cujus humeris tunc Ieroſolymæ regnum conſederat, acie fregit, regno, ac libertate exuit, flos Equitum exciſus, Ieroſolyma feroci impetu lacerata barbaris conceſſit: per omnes incendium Vrbes ita proſerpſit, ut ſolùm Tyrus, Antiochia, Tripolis ſupereſſent, quæ metuerent hoſtem, non adorarent. In quæ compendia coacta eſt poteſtas? tres Vrbes

* *Buſſieres in floſculu Hiſtoriarum.*

totũ erant Ierosolymitanum regnum. Quod luctuosius est, non seculis protracta, neque inter ætates ac felicitatem consenuit, potentia! non dum vertente seculo, quo conditum erat regnum, excisum. Tristissimus hic casus tam atrociter prostravit rem Christianam, ut Religio, orbisq; Christianus totum se profligatum in Asia, unâ imò in Vrbe putaret. Gravissimum tamen vulnus acciderat, quod Crucis dimidium (jam enim in duas partes secta fuerat, nè tota simul interiret) occuparetur ab iis, qui insultarent. * Revera autem procella hæc, quæ se divinitus tam atrociter devolverat, ad hoc videbatur concitata esse, ut Regale decus, curulis illa DEI, illud ferculum, in quo patientia Numinis, amorq; nostrî gloriosissimè triumphos egit, eminentiùs efferetur. Quis non reputet, tanti fuisse Crucem, quam & barbari, hostesq; in spoliis plus-quàm opimis recenserent, ducerentq; nisi pacis impendio, Provincijs item, atq; Vrbibus nobilissimis, redimendam?

Quid primum admirer ex istis, quæ ipsam admirationem superant? quòd sine armis arma DEI repetita sunt? an quòd hostis, cùm triumphare posset, tantùm non mendicavit pacem? Languebant vires Christianæ; quia Cruce signatorum copiæ, quæ ex

* Spondanus tom. 1. Annal. Eccl: 1187.

ex Germania, Galliā, Italia, validum robur, quod è Lusitania, Ioannes Rex Ierosolymitanorum, Dux Austriæ, Magistri Templariorum, Hospitalariorum, Teutonicorum, alii Proceres, armis perinde, ac pietate succincti, quos toto pelago, ex Europa in Orientem trajecerat bellum Sanctum, tam arctis rebus in Ægypto constituti, ut vitam, nedum lignum vitæ, aut victoriam, vix sperare possent. Nilus quippe suus pro Ægyptiis pugnavit: qostquam tanto aquarum luxu intumuit, ut intra usurpata collium subsistere, atq; hærere detrectaret; quin ita se amnis expanditor efferret ultra solitum, ut non modò deveheret aquas ad ubertatem camporum, sed etiam latè mergeret exercitus nostros, sed arma Sacrosancta, quæ tunc peregrinabantur ad auroram, inter undas rebelles miserrimè natarent. Accessit calliditas Regis Ægyptii, qui, ut furias fluvii, viresq; sibi militantis adjuvaret, quosdam aggeres Nili prærupit. Itaq; sine lege, quia sine obice vagabundum flumen in castra, in commeatum grassatur. Interim Ægyptii ex editioribus jugis infortunia gentium bellicarum, & jam toties victricium spectantes, oculis vincebant, quos flumini tradiderant debellandos. At ô prodigium! accisis adeò rebus, cùm nihil Chri-

 stianæ

stianæ legiones magis, quàm fata exspecta-
rent, Rex barbarorum ultro pacem, nec pa-
cem duntaxat, etiam Crucem, tunc prob-
captivitatis perpessam offert: dum sibi D-
miatam sive Pelusium, potentissimam, N-
loq; innatantem Vrbem, Tanàim præte-
& populos, quos ceperat bellum, restitu-
rent Christiani: ad hæc octennes induci-
armorumq́, vacatio decernuntur. Ergo i-
rum triumphale signum, & sibi, & DE-
triumphanti erigitur trophæum.

Ierosolyma non suffecerat honorib-
Sanctioris Ligni: Sparsit se per orbem Te-
rarum, quod terris peperit salutem: illat-
Regnis Sanctum pondus, sed non tam m-
le sua, quàm majestate Domini grave. V-
hebantur ex Oriente Classes onustæ ge-
mis, exponebantur pretia rerum, quas l-
luxus, vel superbia, vel usus non plebe-
in pompam adsciverat; sed nihil unquam
ex orbe illo pretiosius in nostrum navig-
vit, quàm Arbor, quæ pretium generis hu-
ni tulit, eoq; imbuta est. Minus ex C-
chide advexit Iason; etsi aureo vellere
tatus in patriam remearet. * Iam olim S-
ctitate hujus pignoris ex Helenæ munific-
tiâ locupletabatur Roma: deinceps Bal-
nus Imperator Constantinopolitanus, c-
nullum præstantius, & dignius censeret
mu-

* *Spondanus in Anno 1205.*

munus, quod à Cæsare offerretur Galliarum Regi, Crucis frustum non exile Philippo misit: pars in Angliam deducta, pars Cænobio Floreffiensi cessit. Nec Poloni destituimur eadem felicitate. Invalidum videbatur præsidium, si Principes nostri Regnum ferro non nisi, & multo milite, murisq; tutarentur; idcirco velut Scutum, quo tota Polonia circumdaretur, Crucis reliquias opposuerunt. Vt autem Divina celsiùs pompa emineret, haberetq; in Polonia Calvariam Crucifixus, monti Calvo imposita est. Mox etiam cæleste illud donum Lub^{r}lino attribuitur, ut Dominici trophæi glo^{r}iam ad publicos cultus efferat augustiùs Familia Dominicana. Alibi præterea, quà se porrigit verè Christianus Orbis, passim eadem Sacra Spolia partitim adorantur, habentq; pro uno Iudææ monte innumera Templa & Aras pretiosè radiantes. Quod summæ admirationi sit, ex una arbore tot particulæ minutatim abraduntur: at illa superest honori suo, quasi cresceret damnis, non divelleretur! Et nequis locus vacaret triumphis DEI; & pelago, & àere, cœlo quoq; sua trophæa figi voluit. Quis enim ille dies, quo Henric⁹ DuxVenetorum suæRepublicæ Crucem mirificam auro inclusam,

veluti prædam belli maximam transmittit?
Tunc enimverò

* *Hadriaci Reginâ maris quam serva veretur*
Tethis, & obsequiis undantibus ambit aquarum

Novum sibi præsidium accessisse rata est.
Hinc tantâ se implevit fiduciâ, ut minùs
utriq; pelago committeret tutelam sui. Tridentem, quo tempestas adversorum componatur, non jure dicas? Hanc ipsam Crucem Constantinus ille, cui virtus, & armorum felicitas, Magni cognomentum addidit, & cælo dicavit, ceu copias immortales circumduxit, quoties belligeraret; & patebat, plus militiæ pietatem agere, quàm ferrum, tantiq; Sacra esse, ut vitam cultoribus, hostibus exitium ferant. Hæc reverentia augusto pignori, hæc Majestas, hæc vis in terris: quid in cælo? Mitto Crucem, quæ Constantino præluxit ad victoriam. Fortè enim non ea tunc suis è cavernis illò deducta est, sed effigies luminosa Crucis, è stellis, aut quopiam igne cælesti excanduit, ut in auspicium triumphi arderet, & ante victoriam simularet ignes triumphales. Mitto conspectum non rarò signum hoc in äere, ac etiam inter astra. Hæc quoq; simulacra Divinæ Arboris erant, non ipsa Arbor. Supremus ille & Iudicialis dies, dum se

* *Daudinus in Veneto triumpho.*

se Majestas Divina totam expromet, & efferet, oculisq; Cælitum terrigenarum, Stygiis quoq; noctuis exhibebit, dum universo comitatus cælo, horrendum Tribunal Iudex implebit, in illo apparatu gloriæ, supra curules nubes, etiam supra solium DEI è cælis tanquam è theatro Crucem proponet, & publico universi Orbis oculo spectaculum dabit. Vel si licet sanctiùs proloqui: * *parebit signum Filii Hominis.* At quale (DEVS bone) signum! Sole fulgentius, jactanti' lunâ, astris omnibus lætius. Quid? Sol nubilo vitiatus condet radios, lunæ facies atrata non diem sparget, sed noctem, quàm sidera expectant casum. † *Crux verò fulgebit, & obscurabit luminaria cæli, delapsisq; sideribus, sola radiabit.* Num autem vestigium duntaxat veræ Crucis, & mendacium quoddam plaudentis cæli opinamini fore? hæc ipsa arbor, ex qua pendebat DEVS, quamq; multo cruore imbuerat, detersis ignominiæ notis, regale vexillum erit. Astra procumbent ferali casu; at Genii cælestes partitas, hinc inde reliquias vindicabũt, rursusq; integritas sua redibit, quemadmodum corporibus humanis, ita Arbori Sanctæ. In hac vitam restituit nobis moriens

* *Matth: 24.*

† *Augustinus Serm: 130. de Tempore.*

DEVS: & illa reviviſcat. Hinc incolumitas reducta generi mortalium: veniat in conſortia felicitatis noſtræ. Niſi fallor, & immortalitas illi decreta eſt. Vbi enim Iudex idemq; triumphator à Tribunali in patrium ſe thronum recipiet, dum aula cæliturn, inferet ſe paratis ædibus, & Majeſtas triumpho graviſſima ingredietur cælum, illico calentes in obſequium Angeli ſublimibus humeris, pronis mentibus, Crucem velut triumphale ſignum præferent. * Et quamvis columna, Spineum diadema, flagella, clavi, ſpongia, lancea, nec non cætera Divini ſupplicij noſtræq; felicitatis inſtrumenta augebunt gloriam triumphi: Crux altiore faſtigio, tanquam ſolio quodam ſedebit, ut, quæ in Calvaria reliquis eminebat, in cælo pariter ſupra reliqua exſurgat. Novum enimverò, at beatis civibus jucundiſſimum longè ſpectaculum! Totos Chriſto aſpectus immergent: inde voluptas cernendi, ſæpe veluti avocaret ſe, reſpectabit ad Arboris fulgidiſſimæ nitores, tum ſe tormenti delicio ſatians, & oculos Cruci, & animos affiget. Fortè per magnificum illud trophæum ſæpiùs oculos volvet Salvator ipſe, ut in eo ſua erga mundum beneficia contempletur. Credo, cælis inter plauſum

atto-

* S. Thomas opuſc: 2. c. 244. & Salmeron.

attonitis interdum demonstrabit: hæc arma, quibus prostravi, quidquid vincendum „ erat. Hoc trophæum nunc meum, hæc „ quondam officina publicæ salutis. Hanc „ quoties intueri libebit, moneor amoris, „ qui me in Crucem egerat. Si paternum „ displiceret solium, aut si quando mundo „ laboranti succurrendum foret: hoc re- „ peterem. Totum corpus à Cruce avul- „ si; mens affigitur. Monumentum hoc „ prostabit æternitatis memoriæ, ut ea, „ quæ toleravi, & quorum commodis to- „ lerantia se impendit, hinc legantur.

Dicite (sæpiùs enim cum fastu magnifico est contendendum) dicite, qui ideo solum bellico tumultu fervebatis, jus omne confundendo manu, ut superbia curru triumphali proveheretur, ut victimæ caderent, ut statuarum surgeret exercitus, quæ tunc gloria triumphi superbam frontem attollet? Iam nunc jacet obsita squalore arrogantia, & tempus inimicum arrosis tot fastibus, saturumq; superbiæ spoliis, triumphat, cùm de gloria, tum de pompa victorum. Vnicum illi decus tot injurias gloriæ vanioris ostentare, & damna impensarum humo reddidisse. Alibi aureæ triumphantium imagines aris decerptæ, excoctæ flammis, inde terror ille, minæq; vultuum in voluptates,

ac superbos usus mutata. Tantum superest trophæorum, quòd super mensas epulantium militent obsequio servili. Certè magnorum fama exspiravit, & divinitates mortuæ vivunt in pœnas. Iam Christi trophæum tam omnibus supereminebit trophæis, quàm & ipse victor nomen triumphantium transcendit; postquam regnavit Dominus à ligno.

ORATIO OCTAVA.

Filia Gratiarum
B. Virgo Maria
Immaculatè Concepta.

VT innocenti, prorsusq; illimi gradu adiisset vitam mortalium, *ex ore Altissimi prodiit* MARIA: ut iter hoc, lubricum, cænosum, & in præcipitia declive, inoffenso gressu decurrisset, *in calceamentis*, cùm reliqui nudissimè enatemus è rerum nihilo, processit. Nec mirum: *Filia Principis erat.* Vt palàm esset, quòd privilegio cæteris mortalibus haud concesso, spiritum traxerit: *Sola gyrum Cæli*, sine vertigine, sine lapsu, sine ruina circumivit. Vt patuisset, non in lacrymas, & infortunia editam esse, dum alii non tam ad vitam, quàm ad

cala-

calamitates extrudimur, Virginum felicissima, quasi in crepundiis, *semper erat ludens in orbe terrarum*, conspicante, & tantùm non colludente supremo rerum Parēte DEO. Auspicatura felicitatem generis humani, forsitan & sine lacrymis enatavit ad vitam, quòd nihil fletu eluendum ex utero efferret. Prô infortunia mortalium, vix haurimus vitam, ante auram, & lucem, ante vagitum, & usuram solis præfocamur! MARIÆ collū illico ut turris, firmissimum erat; ne primævæ labis violentia fauces elisisset. Vt demum ad gratias formaretur, adhuc in visceribus maternis sinu gratiarum excepta est. Proinde non peccabo in Tuæ fecunditatis felicitatem ô Anna, concipientium, & parentum fortunatissima si MARIAM, gratiarum filiam perinde, ac Tuam appellavero.

Si nomina sunt rerum simulacra, nec inani sonitu cognomenta adstrepunt aures, licebit memorare Ioachimum, Annamq; ut constet, MARIAM esse Filiam gratiarum. Quid enim Anna, nisì gratiosa? Iam si paterni nominis origo exploretur, quot mysteria? quot publicæ felicitatis pignora latent? Modestissimi Conjuges non ea sibi vocabula rapuerunt, quæ Augustis imponit arrogantia, quoniam liquebat, non ideò fore summos, atq; in sole victuros, si nomi-

na

na summorum induat sibi superba spes; sed præsagiente cælo, imò auspicante jam reparare fortunam mundi, quæ corruerat, præcipitante in exitium culpâ. Consulamus enim sacræ Etymon linguæ, jam constabit, Ioachimum dici quasi *Præparationem*, aut *Firmitatem Domini*. ô bono omine! ô faustissimo eventu! postquàm enim collapsum, inter sua rudera, velut putre, penitusq; corrosum cadaver genus humanum jacuisset, nulla interim vis adesset, quæ communi busto afflaret vitam, ecce rerum opifex præparat virum, cujus è thalamo in spem salutis publicæ, in vitæ reparationem exsurgeret proles. Si quid spiritûs intra mortalium fibras delitesceret, invalidum erat: ecce firmitas Domini ex Ioachimi sanguine prorumpit. Cuncta hæc, cùm non irato, sed propitio numini referamus, necesse est, ut Ioachimi proles, gratiarum Pignus nuncupetur. Quoniam huc se devolvit oratio, operæ pretium est, ad originem stirpis Marianæ, tanquam ad magni fluminis caput redire. In splendidis eam cælorum indulgentia volebat penatibus concipi, sed jam angustis, vagire deinceps in cunabulis equidem nobilissimis; sed quorum claritas ita decreverat, quemadmodum majoris incendii reliquiæ, jam exspirante, & se in cine-

ribus

ribus suis tumulante collucent igne. Quanti enim, si fortunas expendere libet, Parentes Virginei? opes illis, quas moderata largitione vix partirentur in decus templi, in egenorum subsidia, ut à cælo, futuram cæli, terrarumq; emerent Reginam. At quanti olim majores omnibus fortunæ incrementis? sanctitatis, & opum, magnificentiæ, & pietatis nutritæ maxima spe, illum pariendi, qui Parens est omnium, à quo salus in populos omnes, omniaq; sæcula debuerat manare, tanta illis copia, ut inter mores sanctissimos, summasq; dignitates, libraret se domesticum decus. Nec tamen probitatis culmen, evertebat insolentia prosperitatis humanæ, quinimo auctibus fortunæ ornabatur honos sanctitatis. Ita se utraq; ab illo gentium parente per posteros volvebat, tanquam juravisset domui sacræ cùm felicitas, tum innocentia. Nutavit subinde fortuna, crudisq; exercuit ingentes animas; sed gentile jubar penitùs extinguere non est ausa. Hoc quoq; provido cæli consilio actum, ut virtutem aspera approbarent, utq; progenies datura hominem DEVM humanis casibus agitaretur, nève faustitas insolesceret perpetuo Numinis favore. Tandem adolevit gloria, & se usq; ad Reges, magnosq; Principes extulit

avi-

avitum nomen. A coronato cæpit Vate; aucta à sapientissimo Regum, variè tandem per nepotes ivit dignitas; ut quandoq; ligonibus sceptra, honorarias secures fabrilibus permutaret. Ita est Auditores, felicitates humanæ more fluminum dilabuntur, quæ subinde auctis è pluvio cælo aquis intumescunt, mox pigra, cunctanter, & languidè repunt; non more solis, aut lunæ, quæ nubes inficit quidem, imposita deinde à rerum Auctore necessitas, non semper in suprema cæli regione defigit, sed ab ortu in occasum præcipitat; sic tamen, ut populis, quos natura nostris pedibus subjecit, integer nitoris prælaceat, atq; diei crastinæ caput lucidum promittat. Secus, opum, honorum, divitiarum astra effulgurant. Postquam occidit sol fortunæ, rarò in primos ex ortus relabitur. Regius tamen sanguis, tot inter tempestates rerum defluebat, donec in Mariæ venas deduceretur, deducendus usq; ad Divinitatem & pretia mundi. Quàm sæpe inter vitia bulliebat! quàm sæpe non erubescendus, rubebat verecundiâ magis quàm nativo colore; cùm se etiam sub ostro, & murice integritas purpuraret. Nunquam tamen sic innocentia distillavit sanguinem, ut limum ex hæreditaria labe non attraheret. Non enim defluebat quasi

si Pactolus aurô turbidus, aut spumeus gemmis Hydaspes, sed tanquam Nilus, qui cælum absolvit quidem à nubibus, nubes ab imbre, à casu imbrem, siquidem in beneficia populorum exundat citra nimborum suppetias; nihilominùs tantò limosior excurrit, quantò auctior: cùm ipsamet affluentia cænũ invehat, obsitq; fluminis puritati copia.

Postquam verò MARIÆ venas illapsus ê tot Patriarchis, Regibus, summisq; in prosperitate humana Quiritibus, tam purus erat sanguis ille, ut si ignis vehementior liquaret solẽ, & diploma, vel (ut Chimici vocãt) balneũ MARIÆ, secerneret à maculis puritatem.

Duo mirabili in conceptu expendite Auditores: alterum erat, non è turmali sanguine, & fece vulgi Virginem efformari, ne quid vulgare plebeiumq; ad Regem Regum, è Matre devolveretur: alterum, quòd summa Atavorum nobilitas in novum efferretur fastigium. Vt enim plausus, atq; admirationem hominum provocabat longa retro majorum dignitas, sic cæli judiciô eâdem repebat, quamdiu magno sanguini innatabat labes, quæ imis summa permisceret, atq; miseram posteritatem deprimeret ad pœnas parentum. Iam MARIÆ primordiis non deerat fortũna, sed quæ & deterrimis evenire potest, iratisq; Superis imputari:

tari. Fortunam ergo viresq; naturæ, juve-
runt gratiæ, ne illud votum populorum,
desiderium illud omnium ætatum Virgo,
ad normam prisci generis efformaretur. O
rerum miracula! ô novos cæli favores! ô
munera, quæ nisi propitium gentibus Nu-
men conferre possit! omnium oritura com-
modis, debuit præstare omnibus, nec decu-
it inventricem gratiæ, nisi gratiis parturi-
entibus, vitam auspicari. Tantum egit na-
tura, cœlestem hunc fœtum effingendo, ut
vires consumpsisse omnes videretur. Quam-
quam, nec illa tantùm fabricare poterat,
dum opus supra naturam efformatur. Gra-
tias itaq; velut primas artifices advocat,
ut auctorem naturæ, nec non gratiarum
paritura, ex utriusq; ingenio, tornoq; for-
mam deducat. Quam verò Dii boni for-
mam? si Deas nasci, & quidquid speciosis-
simum, fabularum opifices fingunt Pöetæ
eveniret, haud speciosiùs nascerentur. Idem
sumi à cælis debuit ut cæleste pignus form-
acciperet ultra, quâ humanâ. Et accepit. I-
Pandora deformis est, & miraculum ali-
venustatis Helena, jam fœdissimum est mon-
strum, si MARIÆ comparetur. Si vultu a-
morem cæli humana species provocaret
poterat MARIA hoc ore placere etiam su-
peris, & mereri titulos, in quos evecta est.

Quàm

Quàm enim emendatum illud oris Virginei simulacrum? aurora genas, etsi hæ puniceo colore artem superent Apellis, nunquam venustiùs exhibuit mundo: non luna, quamvis pleno renideat ore, sereniùs illucescit. Sol ipse (credo) expalluit, dum MARIÆ facies liberalissima in utero Annæ, primùm penicillô naturæ melioris, deinde coloribus gratiarum se totas huc expendentium depicta est. Oculi quàm amænè radiârunt? in vulnera quidem cælestis sponsi radius se vibravit, sed tantò meliùs illuxit quòd in vulnera cælestis sponsi se vibravit. Nimirum, oculi, qui tantùm terreni sunt, primos agunt in amore, sed noxio, Duces. Pupillæ Marianæ ita cor Divinum succenderunt, ut illico in amores nostri DEVM pellicerent, traherent, penitùs vulnerarent. Per malas, & supercilia, frontemq; inusitata quædam dignitas sese explicabat, & tamen, ut sanctior esset venustas, permiscuit se decori terror. Quid pluribus de forma etiam MARIÆ disputem ego, cui nihil est speciosius informi per vulnera DEO? Illud tamen concludere licebit: animatum homini DEO palatium fabricatur? fabricetur amplissimè, pulcherrimè, Divinè, ex ingenio non artis, sed gratiarum. Futura est Regis seculorum immortalis aula quæ

construitur? construatur venustissimè, & quæ Majestati huic conveniat. Animus incolet hoc penetrale formosissimus, excolatur venustissimè, sicq; suo non indignum habitatore. Accepimus in urbe Cambaliensi, tantum assurgere augustale, ut & fastum superet, & admirationem. Tam vastè procurrit, ut muris ad octo passuum millia se porrigentibus cingi debeat, quasi ambitu minore laterum, ambitus capi humanus non possit. Tantis micat opulentiis, ut luxus ipse, sumptuosiores vix ædes cogitet: aurô tectum radiat, veluti ardesret; cæruleis ad cæli imitationem gemmis intro exornatur, ut Princeps, tanquam Iupiter quidam, divinitatem in terris sibi mentiatur. 24 Columnæ in äérem luctantur, sed ex auro laboratæ: pinus etiam aurô illigata, superbiùs extendit ramos, è quibus locò pinearum nucum gemmæ turgescunt. Interim aurum in monstra effictum, serpentes imitatur, passimq; naturam simulat ars pretiosa. Sic fastus impendiosè ludit! sic ad unius Principis magnificentiam, luxus cogit metalla!

Iam quanta perinde amplitudine, ac superbiâ se explicat regia Sinensis? circumitu vastissimo aulas 79 amplectitur; quas autem aulas! quædam ære intus, & super-

nè

nè vestiuntur, argento quædam; aliis aurum pro cæmento, & tegulis est, quarumdam, non parietes duntaxat intimos, sed etiam tecta abscondunt pretiosissimi uniones. Iam regale solium, ebore coalescit; sed gemmis ita serenatum, ut pariat diem nocti claritas adscita, minusq; aula debeat cælo, dum spolia telluris, & aquarum, in solis vicem transiere. Quippe nefas ducitur Principem inhabitare Lares, quos non compserit magnificentia, quæ luxum evincat. Memoremne aliud regionis ejusdem palatium? Ne terrestre opus videatur, non surgit è terra, sed octo attolluntur columnæ, turrium fastigiis etiam præcelsis pares, illis imposita regia, despectat regnum, tantùm non universum terrarum orbem. Magnificum hoc, & vix non ultra quàm regale! Decuitne augustale hominis DEI, Basilicam Regis Regum, Conclavium Divinitatis infra humanam repere magnificentiam? omni apparatu instruatur palatium hoc, superetur etiam luxus Principum, vincatur superbia mortalium, ut non indignum hospite DEO penetrale, capaxq; incolæ, quem ne mundi quidem vastitas cepit, domicilium paretur, intersitq; multum inter ædes, quas homines, & quas incolet DEVS. Vt è cælo corpori delibaretur species, animus

ipse requirebat. Nihil pene cum cæteris illi commune, meretur hospitium, efformet habitaculum, ne se iniquiùs gerat, & talē spiritum malè collocet natura, neve sub vulgari cute, mens lateat non vulgaris. * *Equidem deformitate corporis non fœdatur animus, sed animi pulchritudine corpus ornatur*: tamen ut Principes monet sua felicitas, efformare ædes supra vulgum, penates comere, naturam imò superare arte, & impendiis opum, sic mentem, cui nihil plebeium est, jactare se in corpore venustissimo, tanquam in regia magnificentissima decebat.

Quis autem animus MARIÆ? lues, quæ omnia sæcula polluebat, nihil contagionis devolvit in eum. Adde, quòd optima illa pars hominis, illud simulacrū DEI, quô solô bruta superavimus etiam generosissima, velut gemma pretiosior in cænum conjiciatur, aut perinde membris, ac carcere condatur. Nam corpus, (ajebat Seneca) † *pondus ac pæna est, premente illo, urgetur, & in vinculis est animus*. Solem contuemur: sed quæ caligo spiritum afflat? sapere putamur, atq; è rationis imperio, lege, principiis, digerere acta; interim externat, prope excutit, eripitq; sibi mentem agnatæ culpæ damnatio, ut animus, in affectuum discordia lu-

* *Seneca ep: 66.* † *Id: ep: 65.*

luctaq; volutetur. Nimirum: temeritas cogitationum, cæteraq; malorum irritamenta, atrociùs animam jactant, quàm efferati maris procella ratem. At verò cùm animus recens illigatur membris, tanta nocte damnatur, ut seipsum ignoret. Quemadmodum aves, exspectant alas à natura, ut se terris, nidisq; eripiant volatu: pariter ille, diuturna exspectatione, labore improbo, subsidia parat, ut subducat se custodiâ, fruaturq; spectaculo rerum. Taceo labis contagionem, pænarum sententiam, decreta mortis. Servitutem hanc nescivit paritura assertorem libertatis, & vindicem nostrum. Neq; sol unquam in cælo constitit nisi lucidus, neq; animus MARIÆ corpus incoluit, nisi à terrenis dimissus ad Divina, ac ideo suo fruens auctore, & se reficiens cælô. Quis computet gratiarum seriem? numeri desunt, ut ad calculos istæ revocentur. Plures illa mente amplexa est gratias, quàm fabulæ comminisci poterant; siquidem, ut maria, ab illo rerum omnium fonte manârunt, statim sui plenissima: sic pelagus donorum cælestium Virgo, velut Mare quoddam enatavit; sed enatavit gratiis locuples, & plus quàm omnes Divi. In minutissimo corpore, veriùs in primis corpusculi lineamentis, & rudimento hominis

minis, vastissima se conclusit anima, animam omnes inundavere favores cæli, ut non immeritò dixerim Filiam gratiarum. Nec plura: unicum restat, ut dictioni, quæ limatissimas aures asperavit, precer à magno Auditore favores, quos si impetravero, jam, sit licèt inornata, impexa, suoq; simillima Oratori suada, dici poterit Filia gratiarum. *Dixi.*

ORATIO NONA.

S. JOSEPHUS.

Magno Nomini, & titulis respondit.

SI quisquam, hinc titulos IOSEPHI, fortunam inde expenderit, utiq; tenuem, annon meritò exclamet: heu malè convenit titulorum amplitudini cum tenuitate rerum! Num fabro inundaverunt agri latiùs, & indiscreta villarum unitas sic extendit fundos, ut devios saltus, & silvas vasta solitudine horridas occuparet? ut possessiones suas velut quasdam gentes montibus distingueret, dirimeret fluminibus? ut quocunq; oculum jecisset, nisi suam intueretur ditionem? num vectigalia saturaverant cistas, aut domus in laxitatem ruris excurrerat? parietes-

ne

ne advectis trans æquora marmoribus sudaverunt, aut se moles ædium hebeno sustentavit? num tecta variata sunt auro, vel gemmæ absconderunt parietes? num pavimentorum nitor cum lacunaribus certabat, aut calcabatur onyx? clientesne empti, & assentantium greges obsederunt latus? Angusti lares, pauper focus, & fumosa tecta humili vertice exsurgebant, par ædibus felicitas, & quem minus etiam gurgustium cepisset, apparatus. Familia quàm virtutibus augusta, tam numero exilis. Quid ultra IOSEPHUM, & castissimam Conjugem, illudq; miraculum naturæ, & gratiarum, paupertatem deniq, ambiverunt penates? Namq; & vernarum aliquem, aut famulam obsequiis advigilâsse dubito. Interim quæ nominum pompa! quis titulorum honor? & quàm pleno gradu in pauperem domum intravit? Vnus Tu Virorum fortunatissime, Davidis Filius, Vir MARIÆ, Pater IESV, generis humani Tutor, omnia. Velificabor cæli favoribus, sic tamen, ut iisdem gradibus incedat laudatio, quibus IOSEPHUM Numinis indulgentia circumduxit. Ne autem tumidè modestia celebretur, attemperabo Orationis impetum, penitusq; submittam moderationi Divi, illud in ornamentis potissimùm reponens, quod bene cum-

titulis iſtis conveniret moribus IOSEPHI.

Perſuaſum enim mihi eſt, quòd quemadmodum non opum jactantia, ſed ingens animus mereatur magnificentiam titulorum, perinde veræ tribuendum ſit gloriæ; non quid voceris, ſed ſi honori ſuo reſponderit vita, & induſtria. Illumne ego magnum Conſulem, aut Senatorem ampliſſimum, Principemve nuncupem, qui prætextam induit, curuli attollitur, cujus oculis faſces, ſecures, aliiq; terrores oberrant, aut ſolennis lictorum, & prænuntius clamor auribus inſedit? circumquaq; fremunt agmina ſatellitii frequentis, omnia, à læva, dextraq; fulgent, latiſſimè exuberant incrementa proſperitatis, inferuntur fiſco vectigalia, tantùm non omne elementum in luxum potentiæ ſuperbioris laborat? at in tantis fortunæ viribus, ſic ſtertit ignavia, ut ne ad breviſſimum quidem tempus ex altiſſimo felicitatis ſomno excitetur. Quantum affluit divitiarum, & mendacis gloriæ, tantum flagitiorum, & hinc dedecoris. Speciosa vocabula in ſignis, in imaginibus, in toliis, in ore plaudentium vivũt; ſed projectæ in delicta mentes ideo tantùm magnificè vocantur, ut vocentur; quaſi verò ſincera gloria proveniat è titulis, non è probitate. Contra mihi videtur talis eſſe

unus-

unusquisq; re ipsa, qualis meruit dici. At JOSEPHUS nullam intulit nominibus magnis contumeliam; quia nulla in titulis ejus vocabula mentiuntur. Davidis in posteritatem sors nascendi virum hunc retulit? nihil superba Proavorum fortuna reperit, quod sub lare angusto erubesceret. Animus eum, non splendor nobilitabat. Opulentia destituebat, non mens erecta. Iam emorientis familiæ languebat prosperitas; proinde vix Davidicum genus censebatur, quod fatorum iniquitate depressum ita serpebat, ut nihil augustum, nisi in fastis, & memoriâ circumferret; sed virtus eximia provocabat summos honores. Exspiravit dignitas avita? reviviscat. Regale nomen jam truncatum repit? exsurgat. languet promissi fides? renovetur. Nefas est tantùm sperare, quæ immutabilibus DEI fœderibus rata, fixaq; habentur. Propagabat se natalium successio per traduces. ruebat imò; cùm desinerent Majestatis fulcra, id est divitiæ, claritas, & alia, quæ miratur fastus. Namq; eadem est conditio stirpium clarissimarum, quæ magnorum fluminum. Et hæc pluribus dirempta ostiis, sic minuuntur, ut nomen amittant inter divortia: & illæ, multiplicato posterorum numero, dum augentur, decrescunt. Quis jam Regius

Da-

Davidis nepos vocabatur, postquam opulentia, & inde progeniti honores intercepti sunt paupertate, velut aggere immenso? Iam vigesimo septimo gradu IOSEPHUS resistebat, jam fasces, securesq; nisi in officina fabrili visebantur: jam solio sella operis, & quæstus quotidiani tripos, sceptris malleus, celte, runcina, terebræ successerant. Etenim modestia privatis se ædibus incluserat, ut in tenuioris vitæ secreto, remotus à tumultu, laboriosum ageret ævum, procul ab ambitu, & omni majoris fortunæ cupiditate IOSEPHUS. Nec egebat mens súi plena, quibus alii ditescunt. Sufficiebat sibi fortunæ suæ faber, cui tota in manibus ratio vivendi. Tamen parvulum hoc sortis, & summissum tugurii culmen, sanctior mens Regna faciebat. Opes illi plùs quàm Regiæ, nihil ampliùs desiderâsse. Quod summum est: & cælo fabrili cælos sibi fabricabat manus non ignava. Quid obfuit malignitas fatorum? Sic quoq; latentem invenit favor numinis, quem nemo faciliùs meruerit, ut seposita in abstruso humilitas. Ars crescendi una est, induere modestiam: hæc superis exhibet competitores, hæc candidatos tacito suffragio notat. Ecce enim IOSEPHUS teste cælo, promulgante Angelo, filius Davidis. Tanto honore

nore nescium ambitionis pectus amplificavit, atq; auxit, & majoribus suis reddidit: imò his etiam majorem effecit DEI clementia, reliquias sepultæ claritatis in usum salutis publicæ promendo. ô miracula virtutis, & gratiarum! pauper casa tam grãde nomen amplecti potuit! Et certè augustus hic, accrescens hic, Patre ubiq; dignus; quia ubiq; Davidi simillimus, sed casto, sed mitissimo. Equidem vati purpureo nascendi ordo illum è Regibus sapientissimum, Roboam deinde & alia, probra magis, quàm pignora familiæ, IOSEPHUM tamen sanctitas proximum fecit: quo factum, ut nec egestas, nec interpositi generationum gradus, longaq; pronepotum series, offecerint, quominus in dulcia filii nomina adoptaretur, illudq; vocabulum decorè sustentaret, quod neq; Salomoni collatum est cæli judicio. Quàm vicinia sanguinis, virtus magis addit posteros sanctitati majorum, ut tantò quis conjunctior censeatur, quantò melior fuerit, similiorq; origini suæ. Quid? non emolliit animum sapientissimi Regis voluptas? etiam rationem evertit. Quæ enim sapientia? excipere delicias augustali, aris idola, & inter gynecæa fingere Deos, quos molle sacrilegium adoraret. Non & alium felicitas efferavit? non egit in præ-

cipitia senatus imberbis, consiliaq; perinde ratione, atq; canis destituta? Non cæteri tantùm à Davide, quantùm à pietate, religione, innocentiâ desciverunt? At Tu pudicitiæ norma, illibati candoris exemplar, verecundiæ decus, omnimodæ virtutis compendium, sub vili stragulo, humiliq; tecto, conservasti nomen, quod priorum arrogantia, vel mores corrupti opibus, in purpuris, in regia, in fortunæ strepitu non deflorârunt modò, sed penitùs decoxerunt.

Magno se vehunt alveo superûm favores. Ergo non satis est titulus, qui cum sanguine manavit. Ex honore nascatur honos, una dignitas sit alterius parens, gradusq;. ô prodigia gratiarum! pronuba divinitate, flaminibus, iisdemq; paranymphis cælitibus, tædæ, sed fumo carentes accenduntur: cælibatus in jura connubii transit, junguntur manus, & animi, hymenæos agitat integritas; virginitati Virgo nubit! Si filia, contingeret, vel astra purissima nubere; ita nuberent. Nam quid ego efficta Deorum Dearumq; connubia huc afferam? artifices fabularum Poetæ Numinibus suis affinxerunt, quæ & scelestissimi hominum patrent. Matrimonium hoc puritas jungit: sacrat innocentia. Novum hinc tituli augmentum, & profectus. Sic

enim

enim Providentiam, cujus nutu omnia gubernantur, credo agitavisse: [a] *Thesaurus est gratiarum MARIA*: quæramus Custodem. [b] *Templum est magnum Divinitatis*, & [c] *ara lucis*: constituamus ædilem, excubet flamen. [d] *Navis est mercibus referta*: advigilet Navarchus. Hortus est virens cælestibus deliciis, & plùs quàm ille voluptatis, aut Hesperidum: submoveatur draco; sed neq; excubiis egemus, quæ flammeo coruscent gladio, ut per vigilias terrorem geminet mucro scintillans: præstabit lenitas excubitorem. Deniq; Virgo hæc futura est Parens Parentis omnium: IOSEPHUS in nomina cùm mariti, tum Patris assumitur. Quis enim? virga hæc Iessæa est: eadem à radice surculus decerpatur, ut in pulcherrimum fascem innocentia coalescat. À Davide Mater Augustissima delabitur: par est, ut receptus connubii ritus sponsum adlegat, quem indubitata cognatio, iisdem majoribus, eodem stemmate insignivit. Quæ deinde sanctitas toto orbe sic eminebat, ut conjugio dũtaxat, non thalamis jungeretur? Vnus Tu (nec invidiosa est laudatio) exstitisti, qui ut fastigium egressus es hominum, ita vix homo credi poteras. Sic enim Te cælestes

gra-

[a] *Petrus Damiani de Nat: B. M.* [b] *Chrysol. Ser. 144.* [c] *Buteo.* [d] *Richard: à S. Lauren*

gratiæ formaverunt, ut integritati simillimum effingerent: tam innocentem, ut nec posse agere videreris, quod posse non liceret: tam eminentem, ut quemadmodum MARIA meruit sola ex universo fæminarum cætu esse Numinis Parens, sic Tu è virorum, putari; verissimus tamen divinæ Genitricis, & non opinione titulum Mariti conferente fieri Conjux MARIÆ. Magnificum hoc, & plùs quàm regale! Nam quòd Arthemisiæ connubio Mausolus, Alexander, aut Menelaus Helenæ prædicetur, id tantò minus est, quantò magìs Arthemisiæ, Helenæq; antecellit MARIA. Obsequendi, facilitas hanc sibi gloriam paravit. Maritus ille augustissimæ cæli, terrarumq; Reginæ, Abnepos Regum, Ducumq;, opinione vulgari Parens Christi, Vir ætate, nec non virtutum gloriâ spectabilis, non aliud sibi ex tam illustri nominum pompa asseruit, quàm servi obsequia, quæ pietas probè titulo Conjugis, Patrisq; submittebat. Sic enim agebat Maritum, ut à mediastino nihilo differret. Genus suum ex Atavis agnoscebat in Consorte, & DEO puero, sed submissio componebat se in servitia vix liberti. Opificium fundus erat, unde alimenta provenirent, ut DEVS sanguinem augeret, qui in pretia ad redemptionem mundi funderetur.

Nihil

Nihil famulandi constantiam lassavit, aut deterruit: non ætas jam defessa, non periculorum sibi succedentium vicissitudines. Vincenda erant viarum tædia, exilii squalor, ærumnarum gravitas; num hìc labavit gressus? caligavit aspectus? tremuerunt viscera? brachia conciderunt? at ne quidem animus titubavit. Equidem ubi uterum DEO plenum videbat, trepidavit: sed modestiæ, non suspicionis metus erat. Nihil tunc subsessores alienorum matrimoniorum oculos metuebat, cùm sciret MARIAM pudore custodiri. Itaq; duravit in officio modestia parere facilis: donec actus in Crucem DEVS (namq; IOSEPHUM morti divinæ superstitem mellitissimus Doctor ille Cyprianus f. tradit) Apostolicam Virginis clientelam, Ioanni, id est, cubiculario cordis Divini traderet. Exigebat nempe ratio, ut conjugis removeretur opinio, nec ultra Pater Christi existimaretur, qui eatenus vicem Patris, & Conjugis tenuerat.

Quæ hactenus dixi, amplissima sunt; sed quemadmodum corpora licèt ardua, & excelsa, decrescunt, si procerioribus admoveantur, aut velut minora astra majorum exortu pallent, & extinguuntur; sic Tu Divorum fortunatissime, dum alius ex alio titulus se

f. S. Cypr: Serm: de Paß: Christi ante finem.

expromit, Tibi majori collatus, maximus alioqui, tantò magis infra Te deprimeris, & à priori magnitudine descendis, quantò altiùs novorum accessione titulorum evect' es. Augustum erat dici filium Davidis, augustius Virum MARIÆ, Patrem Christi Augustissimum. Etsi enim supremus ille Cliens, Alumnusq; tuus non potuerit Te sibi æquare, adeò in edito collocavit, ut tantò eminentiùs Patris nomen supra cæteros exsurgeret titulos, quantò augustiùs & ipse, à quo adscitus es in hanc dignitatem, omnia fastigia transcendit. Quot hic prodigia? ut votum omnium seculorum in carne DEVS, esset Davidis Nepos, IOSEPHUS in Patris & nomina, & curas adscitus est. Naturæ nihil debet felicitas hæc, quæ titulum Parentis inter DEVM, & Fabrum divisit; sed gratiis, sed officiis, plùs quàm paternis, quæ foverunt infantiam, annosq; adultiores illius, cujus consilio, potentiâ, arbitrioq; omnia fluunt. Fabrile tectum maximus in orbe terrarum Hospes implevit: parum hoc; etiam gremio se infudit non semel tanquam paterno Divinitas puerascens. Suspendebat se à collo IOSEPHI cæleste pondus, & basiis Patrem probabat verum, quem sollicitudo tantùm, & opinio faciebat. Interim Altoris modestia reddebat pro svavio lacrymas

quan-

quandoq; etiam ore, animoq; in Sanctissimos amores exserto, trementia DEO libabat oscula, quæ mox singultibus miscerer. Quàm sæpe inter fletum cadebant verba: Te mapalia hæc amplectuntur, „ qui terrarum orbem conclusisti? Novi „ quem sinus circumdet meus! In amplexu „ hæres tenui complectens omnia! Ah „ gravem gero sarcinam! Mundus cum „ Puero hoc consedit ulnis! Certabat in- „ fantis amor, perinde ut si filialis esset, cum affectibus Nutritoris. Tenerrimum, sed optimum vultum titulo pietatis componebat ad blanditias, totumq; affigebat ori paterno. Inter hæc quantum Sanctissimi amoris propagabat in pectore IOSEPHI, pariter quantum & ipsemet Puer hauriebat ex IOSEPHO! Sæpe & lacrymarum voluptate innocentissimi Senis perfundebat cæsariem, forsitan & per singula oscula donabat Nutritio cælos, cor etiam divinum. Delicium hoc mollius fortè, etsi cæleste. Quam illud fortunatius, quòd stipendia salutis humanæ, Te Imperatore DEVS Cliens merebatur? Quid priùs hìc admiret? Tuam in præcipiendo auctoritatem velut imperatoriam, an submittentis se facilitatem Majestatis? quarum, illa, ut auderes, hæc, ut posses imperare DEO Faber, dabat. Evertere

rere anguftos penates mandabas? jactabat pulveres Immenfitas, & concitata caligine condebat fe Majeftas. Mundi Architectum volebas exerceri opere fabrili? exercebatur. Vt curta domefticæ rei fupellex componeretur innueras? nutus occupabat imperii vices. Præveniebat arbitria jubentis Divina obfequendi alacritas. Si cælos fabricari novos, novam librari terram, alios effundi pelagos imperaffes; forfitan in hæc quoq; obfequia poteftas jubendi omnipotentiam ftimulaflet. Sed tantum ut auderet, nusquam fibi indulfit modeftia: tamen nullum adeò vile officium intercedebat, quo non cælos nobis emeret, amiffamq; felicitatem juffa Divinitas repararet. ô fortunatos lares! ô ultra Cæfarum Auguftalia, Principum turres, fuperba Regum penetralia exile tectum! Illi mortalibus imperant; IOSEPHUS DEO. Cæteris pulfanda fuerant templa, & altaria, conveniendi votis cæli: hic aram fecerat domi, quam DEVS ille manifeftus, ac præfens æquè ac cælum, fideraq; infedit. Gratiis hoc referendum; illud fibi etiam debuit IOSEPHUS, quia de titulo, quo non amplior in terris queat effe, nihil fuperbiæ, defidiæ nihil fluxerit. Num illi ex immortalitate filii aliquid arrogantiæ acceffit? num ignavia manus fol-

vit?

vit? aut in eam conjecit temeritatem, vel audaciam cogitationes? Altor est universorum, & vestiens omnia, cujus paterna „ mihi cura divinitus commissa est: alat „ se, vestiat se: mihi quoq; per otia dies „ agenti omnis se ingeret fortuna. Vt in- „ cunabula fovet studio plùs quàm paterno! ùt securus sûi, & tantùm pueritiæ DEI timens, sarcinas colligit in fugam! arenas calcat Ægyptias, & Nilum auget sudorib⁹! ùt extorrem gremio revehit DEVM, atq; omni ope, nisuq; infantiam sustentat! ùt amittentem se ultro duodennem omnibus vestigiis indagat! suspiriis explorat! insequitur lacrymis! desideriis occursat! comprehendit votis! & antequam teneatur cupidus quæri, ac inveniri DEVS, catenat eum pietate, arctissimo amore stringit! Deinceps non omnem huc contulit industriam, ut siquidem è natalium dignitate non posset, educaret è religionis cultu, ex animi sinceritate, cujus promptitudo cumprimis in censu est, & superos demeretur? Nemo tam facilè delinitur obsequio, vel muneribus, ùt DEVS. Si Principum velis aucupari gratias, quanto sudore constat, quibus largitionibus favor emitur. g. *DEO, ut pote muneribus incorrupto*, sine auro, sine margari-

g. *Plato in Alcibiad. ado prope finem.*

tis pretiosi sumus, sanctitatem morum, non impensæ divitis pompam in sacris attendit. Reputabat quoq; atq; continuò secùm tacita pietas agitabat: pignus hoc sidereum è manu mea, curisq; supremus rerum „ Parens, salus publica reposcet: in utrumq; „ educandus est. Non mihi paratus ædi- „ um collucet, nec par evenit dignitati huic „ fortuna. Quantulũ enim est, quod præsto; „ at quãtus ille, cui præstatur? Gratulor ta- „ men meæ tenuitati, quæ visa est digna, quã „ DEVS cõcupisceret. Quocirca seriùs instabat, obsequia ab innocẽti pectore, manuq; exigere, & tanquã majores victimas immolare, se totum ante aram (nomen hoc omnis angulus merebatur) domesticam, ante domesticum Numen litare. Antequam nutu, vel lacrymis paternam opem invocaret Puer! præstò erat pia sedulitas, ut numen exhiberet Numini supremo. Dormitabat infans, aut vagiebat in cunis, ille cunas tanquam altare accedebat; nec somnus unquam sic oculos, sensusq; vinciebat, quin excubitor animus vigilaret. Pulcherrimum est, quod pietas hæc temporibus Christi se non conformabat: quatenus minor prima Pueri ætate, majorve fuerit annis crescentibus. Credebat enim nunquam crescere DEVM, & juxta in membris infantilibus, atq; in adul-

tis, maturam latuisse Divinitatem. Eam ob rem par ubiq; pretium Alumni, par amor, eadem veneratio, nisì quòd merita quidem IOSEPHI, cum Hominis DEI statura crescebant.

Macte hac probitate, hac vigilantia, studioq; famulandi Vir innocentissime! tot, tantisq; meritis, novos honores, novos titulos meruisti. Quos verò honores? quos titulos? an magnificentiùs cognomen ex gloriæ penu depromi valeat, quàm nuncupari, crediq;, post connubium MARIÆ, Patrem DEI? Si tamen nostra felicitas arrogantiùs se efferre, ac jactare velit, novum Tibi è nostris calamitatibus vocabulum nectitur. Tutorem Te generis humani dicimus: ades enim. Postquam manibus, gremioq; admisisti DEVM, prostrata, penitusq; jacens mundi conditio, in Tuum confugit sinum. Hereditate successio nostrorum malorum debetur Tibi, ut Tutorem, Christo, ut nobis Medicum agat. Et prodest calamitatibus oppugnari, ut in tutelam adeò sublimem recipiamur; ac tandem miserrimum ærumnæ nomen amittant. Amittunt enimvero. Postquam enim dulce Patris cognomen in IOSEPHUM contigit devolvi, ille magnificentior, securiores nos evasimus. Quantum enim gloriæ dimanavi

in eum, tantum in mortales emolumenti.

ORATIO DECIMA:
Vox Clamantis.

NEc Oratori vox, nec voci gratia deesse potest, cùm celebro IOANNEM; qui utrumq; uno sub nomine ita complexus est, ut & gratias vocales, & vocem gratiosam tam arcto fœdere copulaverit; quasi non permissa sibi, sed in se mutuò conversa utraq; sint. Rarum hoc! didicimus in plurium vultu, ac supercilio Charites ridere; sed tristissimæ taciturnitatis horror corrumpit voluptates. Aliis suada, velut torrens exundat, ut tantùm perorare libeat; sed linguæ inamæna volubilitas aures asperat, animos offendit: putes cicadam strepere, non Sirenem modulari. IOANNES ùt supra naturam, & homines, ita supra errores naturæ, hominumq; surrexerat. Necdum cunæ exceperant cæleste illud pignus, promissum sterilitati decus, florem thalami socialis, Numinis præconem, vocem Verbi; jam Superi universas nomini huic gratias impresserunt, Superis Genitrix consensit. Cùm enim alii contumaciùs, ambitiosiùs alii, pro infantis nomine agitarent consilia, stirpis monumenta consulerent, vocabula excute-

rent avita, tanquam universa stirpis gloria hoc cardine verteretur, si puer avito, si paterno, si augusto quopiam nomine insigniretur; Elisabeth conscia cælestis arcani, constantia plusquam virili contra omnium sensus luctata est, & IOANNEM dici maluit. Vltima Zachariæ voluntas, quasi oraculum exspectabatur; sed Parentem vocis, vox destituerat, ut in obsequia loquendi ligata prodigio lingua haud posset exsolvi. Itaq; manus defuncta est obsequiis linguæ, & primùm nutibus, mox calamo elocuta, IOANNEM dixit. Non dixisset? at Divûrum Senatu decernente ita sancitum erat, ita Gabriel nominaverat. Cùm vero major hominibus, extra hominum consortia coiret nemus horridum, avios sylvarum recessus, cæca noctibus perpetuis antra, aspera ferarum cubilia, agereq; teste Cælo, spectantibus feris, attonitâ eremo, naturâ se totam in uno puero admirante, gereret (inquam) sine plausu, sine subsidiis humanæ vitæ, tantùm non sine nomine, vocem se clamantis proclamavit. O miracula! ô inusitata rerum facies! incultis camelli exuviis, quasi humanum monstrum, non tam vestiri, quàm asperari! insolitis homini dapibus, fallere magis, & torquere, quàm sustentare vitam, nullis gratiarum, quæ huma-

manos invitent oculos, ſtipari illecebris, & IOANNEM eſſe! tanquam elinguem obmuteſcere, ſoloq; cum Superis loqui ſilentio, vocem attamen dici! Habes itaq; Magne Auditor, uno ſub nomine, & Vocem, & Gratiam. Quamobrem cùm roſtra ſic adeam, ut ſua ruditas ineruditam ſtrangulet ſuadam, unicum ex argumento fluit ſubſidium. Incondita erumpet Oratio? gratiis IOANNES condiet; attonitæ prodigiis voces fluere detrectabunt? invita etiam vocabula vox excutiet, protrudet; vox (inquam) deſerti, vox populi, vox DEI, vox palatii, demum vox mortis. Per ſingula cum deduxero ſtylum, perorabo. Tu verò Auditor Magne toties IOANNEM cogita, quoties vulgare jam, atq; pro roſtris ſanctioribus arroſum, detritumq; vocabulum inſonabit; neq; inter dedecora ſuadæ repone, dum obvia partitio, pulſabit aures eruditas.

Parare vias Domino præcipiens, odit deviam, atq; à trito calle detortam Orationem. Quamobrem ordinem tenere libet, quem propoſui. Vox ergo ab eremi ſilentiis, ab inculto ſylvarum horrore, vel ſi quidpiam nemora vocale educant, ab avium garritu, à rugitu ferocientium belluarum, colliſis vento arbuſculis, primò ſibilat. Fidem hominum quid illud portenti! Infans

vix

vix maternum lac prælibavit ; jam veluti omnia mundi venena abliguriviſſet, aut bibiſſet Circes pocula, ſic innocentia exhorruit, greſſu adhuc titubante, dubioq; , proripuit ſe ab ubere, fugit à gremio Parentis, à nutriculæ domûs blandimentis quaſi à Scylla probitatis, mox reptando ſubiit deſertum, fors & vagiens illud ingeminavit. Non „ poſſum agere filium ſub felici tecto : ho- „ ſtis domi conditur, inſidiæ latent in ædi- „ bus paternis ; quæramus tutiora. Quam „ negant ſecuritatem altrices cunæ, ſinusq; ; „ dabit ſylva. Perniciosiùs domi inter e- „ xempla virtutum, innocentia deviare p - „ teſt à virtute, quàm in avio nemore. O- „ di penates, qui faciant nocentem. * *At* „ *mala vipera tactu*, ſerpensq; è dumetis pro- „ repit & ſinuoſo ſpiramine volutus cum „ ſibilo fundit venena ? at torva rabies lu- „ porum, vel ferocia leonum, pardorumq; „ vultu feroci, rictu horrendo obverſantur ! „ Minus terroris afflant hæc terriculamen- „ ta, perniciosior eſt domeſtica voluptas, „ quàm feritas belluarum, quas ſylvæ edu- „ cârunt. Animum illa mordet, præfocat „ tirocinia virtutis : hanc vel effugere in- „ nocentia poteſt, vel ſuperare. Forſitan „ impium eſt materna eludere ſolatia, nec „ in

* *Virgilius.*

in sinu paterno crescere ad spes non hu- ,,
miles: forsitan & temerarium aggredi, ,,
quod adulta ætas rarò, nec sine formidi- ,,
ne audeat? At non temerè agimus, si ju- ,,
ra naturæ evertamus; nè culmen integri- ,,
tatis ruat. Impietas quoq; hæc piissima ,,
est; nec carent voluptate, quibus favor ,,
cælitum blanditur. O mentem pueri ve- ,,
teranam! ô non imbecillem in ætate imbe-
cilli ausum! Magno etenim gradu, quamvis
infantili, à gremio, & indulgentia Paren-
tum, ab æde natalium conscia, à suorum
blanditiis in eremum, quasi in asylum inno-
centiæ se recipit IOANNES. Nec istud dun-
taxat: prætextam insuper serico mollem de-
trahit lacertis, in cujus vices concessierunt
horridæ cameli exuviæ, utiq; pilis asperæ, co-
lore informes, & quæ magis premerent mẽ-
bra tenera, quàm investirent. Humanum ju-
râsses monstrũ, quod vel ipsa nemorum cubi-
lia terreret, & feris incuteret horrorem. Ni-
hilominus totus IOANNES horror fuit, & totus
vox: sed placidissima, sed omnibus gratiarũ
ambrosiis condita, Perorat semetipse ùt
luxus, ita rigidus vivendi tenor. Statuam'
enim in medio, hinc mollem, & ex arte flu-
entem deliciis Sardanapalum; inde domi-
tum inediis, duris præfractum, & qui o-
mnia supplicium sibi fecerat, IOANNEM.

Adeas

Adeas tecta superbæ voluptatis: universa, vel crystallo micant, vel metallis. Aureum sæculum rediisse credas in domos delicatas, si perinde mens aurea, ac supellex foret mollibus. Quæcunq; oculus observavit divinum aliquid, vel mysteria putes. Haram superbia credit, si luxus ædem non inhabitet; mapale, nisi magnis, & pretiosis lapidibus domus refulgeat, atq; ideò, mensas, lacunaria, vilibus etiam usibus destinatam supellectilem potiùs, quàm cælum, atq; publicam mundi lucem intueatur fastus: demum nisì parietes filis pretiosioribus abscondantur, & pretium novo pretio celetur, quasi ideo sumptuosè comparatum fuerit, nè videatur. Quid de columnis, quæ nihil nisì fastum sustentant? quid de flagitioso imaginum spectaculo dicam? Non pudet illicitos Deorum raptus, & incestas noctes ementiri, simulacra quasi exercitum contra verecundiam ordinare, ac veluti istius tantùm satagere, quis ingeniosiùs delinquat, aut profusiùs fortunas amittat, impensæ duntaxat causâ. Iam illò quoq; profecit ambitio, ut nisì pretiosa calcare nolit. Quid superbam esuriem? quid sitis arrogãtiam? quid compositas magìs ad fastum, quàm ad ornatum vestes, toros oloribus tumentes, cubilia, quasi aras, fulgida referam?

ram? Vbiq; luxûs, & superbiæ certamen est, ubiq; effeminat viros molliores voluptas ad exitium opum ingeniosa: ubiq; insanissima dispendiorum mala, & luxurias ex arte felicitas ipsis criminibus superbit, ac veluti profligata innocentiâ, fortunis perditis, frugalitate oppressâ, triumphet. Videas comptum; pudorem amisit, & rubet: quasi armaverit vultum rubore contra pudicitiam. Sic comam composuit concinnus Trossulus, ut mallet omnia, divina sint illa, an humana, turbari, quàm calamistratos operosè pilos. Nè digitos quidem gemmis accensos movet, quin mille superstitiones vanitas committat. Dum acu per varios colores ludente, textuq; peregrino fluentem induit togam superba prodigalitas, Atlantem credas suo sub cælo sudare. Siquidem uni filo insuuntur prædia, è tenui tela pendent vectigalia populorum, & omnis pene hereditas, dorso excipitur, circumfertur. Sic delicata, tumensq; insolentia.

Ponamus inde Baptistam, qualem & supra objeci, & iterum exhibeo. Palatium illi, nemus: conclave, exesa rupes: torus, saxum, cespites: in convivium transierunt herbæ rudiores: cupediæ, locusta; aut silvestres favi. Nihil autem perinde bonam indolem nutriebat, ac fames diuturna.

Ecce

Ecce & molles animas, & crudum Ioannis propositum: utraq; tacendo etiam se perorant. Nimirum ubi corpus fastuosè operuisti, revelatur superbia, totidemq; argumentis ventosam eloquitur vanitatē, quot fila intexuit superbus labor, quot impensas fecit luxus. Pariter Ioannes vox erat etiam tunc, dum sileret. Taciturnitas ipsa pro silente declamavit, ut in suadæ vices silentia transirent. Tot deinde Oratores in eloquium instruxit taciturnus ille nemorum incola, quot virtutes animo complecteretur. Nuditas ipsa confutabat fastum palatiorum, & in hæc secula refellit, quoscunq; molliùs educant aulæ, aut ex ingenio voluptatis evisceratorum vermium labores, & quæsiti peregrè textus, ad jactantiam induêre.

Quanquam cum toto cælo innocentia loquebatur, dum toti mundo taceret. Abdebat se nemoribus arcanum illud Ierosolymæ; sed animo saliebat supra montium tumores, supra cedros excurrentes in aërem, nubesq;, permiscebat se astris, & cælo fruebatur Divorum vel quasi necessarius, vel tanquam municeps aut tribulis.

Sed tandem abstrusos nemorum recessus, & ferarum contubernia, juvet deserere, Ioannes. Eripe Te arcano illi, quo vix notitia hominum irrupit. Vox publica est

publicum pete. IOANNEM, populi velut Magistrum. IOANNEM urbes, & palatia velut vivendi normam, status universi velut oraculum expetunt, & exspectant. An nescis omnia sic vitiis corrumpi, ut plus pene admittatur, quàm quod possit còercitione sanari? Grande est criminum certamen, quotidie peccandi grandior cupiditas ebullit, emoritur verecundia expulso melioris, æquiorisq; respectu? Quòcunq; visum est, libido se impingit: nec jam furtivè scelera irrepunt: eunt præter oculos, jamq; theathralia sunt flagitia, & passim merentur plausum. Crede sic in publicum erupisse nequitiam, sic in omnium pectoribus licentiam evaluisse, ut innocentia non rara, sed nulla propè sit, omnesq; veluti signo dato ad fas, nefasq; permiscendum convolent certatim. Iacent ergo eversi mores; tu erige; siconticescunt oracula; tu Curia, tu Tribunal, Tu ex occulto emendator evenies. Iordanis pleno alveo despumat, & piaculares undas evolvit, quibus eluantur mundi piacula. Iam & Agnus quem digito monstras, Te evocat mitissimo balatu.

Tandem admirandus ille nemorum habitator, ferarum ille contubernalis emersit è silvis, tanquam suo Trophonius ex antro, imò veluti Sol, ex fædo nubium, aut ex con-

cha

cha unio; adiit cœtus hominum; sed hominibus major. Quid autem portenti illud? ad IOANNEM currere certatim milites, festinare urbani, ruere agrestes, provolare juvenes, reptare senes, tantùm non civitates suis cum incolis commigrare. Vrbes erant, ubicunq; pedem figeret homo prodigiosus: ipsæ camporum solitudines, in populosa oppida degenerabant. Quin illo navigante, eodem phasello cùm salus, tum terra navigare videbatur. Interim IOANNES meliùs quàm Pericles tonabat, animosq; inter delicta obstupescentes trahebat in amorem honesti; sed fortiùs, quàm suis olim Hercules catenis. Per fidem, quæ illa dicendi libertas? ita universis nunc asperitatem pœnitentiæ, nunc studium virtutis persuadere, quasi imperaret? nunc toto impetu invehi contra vitia, quasi censoria potestate; aut alta facultate dominandi, omne penes se arbitrium relinqueretur? Pēdebant universi ab ore, quòd humana vocabula vix didicerat, nec voces accipiebantur quasi dogmata, sed tanquam imperia. Credebatur necessitas agendi, quidquid ille modestiùs suaderet. Quis non miretur pronis auribus militiam quòq; hæsisse, cùm IOANNES ferreo planè, ac militari stylo, militarem licentiam oppugnaret? tuerentur Patriam non ,,

" everterent; nec in civium grassarentur
" cervicibus, quos servari, non concuti o-
" porteret. Intelligerent, armatis viribus
" non tantum licere quantum hæ possunt:
" nec arma tenentibus omnia deberi, ut
" etiam non esse stipendium militare, quid-
" quid attrahere potest violentia. se potius
" armis, quàm cives exuerent fortunis. Si
" militare sacramentum sine mercede cole-
" retur: si fames juberetur servire, liberè
" absolvi bello, & ultro exauctorari. Quæ
cùm ita se habeant, non meritò appellave-
rim IOANNEM, Vocem populi, imò DEI!
An enim putemus eum, quasi inane crepi-
taculum adstrepuisse, vel in morem Sirenis
ad aurium voluptatem, perniciosa modulati-
one concinuisse? Divitum favores illecebris
dicendi mercaretur, & se populari aura su-
spenderet loquentia servilis? Divina illi vox,
non humana; quinimò ipsemet IOANNES Vox
DEI. Nimirum ùt sonus humano è pecto-
re exspiratus frangitur in voces, & secum
humani conceptûs simulacra circumvehit per
auras, & aures; sic ille resonabat, ut Divi-
næ mentis imago videretur esse. Addo: si
DEVM humanis vocibus loqui contigisset,
IOANNIS ore loqui placuisset. Non primò
tunc divinæ vocis cognomen meruisti IO-
ANNES, cùm pro DEO ad homines loque-
reris,

reris, & sepultum sua paupertate Numen, digito, oreq; monstrares. Viscera Parentis exedræ fuerunt, unde pro tacente Verbo perorares. O quot portenta simul occurrunt! Dominus needum progenitus, impetu charitatis, uteroq; materno, veluti viva, spirantiq; rheda per aspera montium invehitur, ad Te itidem necdum editum: officiis utrinq; certatur, utrinq; mille prodigiis explicat sese scena infantilis. Ille veluti Sol nube abditus, ex occulto radios vibrat, Tu arcanum jubar, plenâ excipis pupillâ, & Sole gaudes, priusquàm diem vidisti: Majestatem ille clandestina exhibitione proponit; Tu agnoscis umbratilem DEVM, maximumq; in parvo corpore hospitem salutas. Non meritò appellem Te Oratorem, jam tunc Marianum, & verè Theophrastum, cùm admirandam Matrem, & infantem DEVM vocali motu, diserto saltu, loquaci tripudio profitereris? O quas deinde, ut planè divina, & omnibus gratiis condita vox esset, tibi non impressit gratias Mater Verbi, cùm tuam diffusis ulnis infantiam foveret, manibus circumferret Virgineis, & mille suavia libaret innocentissimo ori?

Vultisnè Auditores, ut vocem deserti, populi, DEIq;, etiam vocem Regiæ dicam?

Quæ (Superi!) paradoxa? Aulam insedit exercitus adulantium; multo se turbine evolvit procella assentatorum, solumq; certamen est, quis ingeniosius fallat. Obversantur palpones, veridici desunt, qui etiam crimen fortunatum donent apotheosi. Tamen IOANNES à deserto, à ferarum consortio, à populi rostris penetrat se in aulam DEO plenus. Mysterium enimvero! camelum diceres non hominem. Monstrum hoc, iste horror oculos, quid dicam aures palatii merebitur? mollissimæ sunt. Quis non cælo intulit Herodem? quis non consecravit regium nefas? Placebat Princeps, etiam delinquens; vel si displiceret, fictitio plausu, crimina approbata sunt. Interim Rex, alium se mirabatur in ore adulantium, quàm reperisset in sinu proprio, qui intimus est. Tumebat ergo animus opinione gaudens inani, mox & simulationis umbram laborantis, vacuaq; virtutis efficta simulacra amabat. Silebant voces veridicæ, nec oracula perorabant. At IOANNES vitia Principis non amavit, ut amaretur; neq; trabeatis criminibus applausit, ut plausum Regiæ mereretur. Is enim fuerat, cui nemo placere potuisset, qui DEO displicuerat. Nihil itaq; in Herode amavit præter hominem, & rursus despexit nihil, præter vitia; et

hæc

hæc in purpurâ nutrirentur, atq; ideo speciosè incederent.

Non ergo majestas humana, quæ plurimis imponit, aut blanditiis emollivit, aut dejecit è fastigio præcelsæ mentis IOANNEM. Vt virtutis opus ageret, adiit solium, pulsavit regias aures, & contra fortunam luctata est constantia probitatis. Ideo fortuna- „ tus es, ut è felicitate vires colligat audacia, „ tantumq; agat, quantũ licentia persuasit „ sibi, fortunæq;? Nescis Princeps omne jus „ eversum jacere, & Rege in nefas prolapso „ virtutem paucis placere? Crede non licere „ vel Principi, quidquid licere nõ decet. Plu- „ ribus deinde sic fulminavit inermis probitas, ut à Principe vel immanissimo timeri posset. O vocẽ liberrimam! ô pectus nulla potestate victum! Pleriq; mapalium noxas dente arrodunt, etiam maligno, tantùm non fulminant: purpurea delicta si non consecrant, silent. IOANNE in humanis agente, neminem juvabat fortuna, ut impunè delinqueretur. Interim dum scelus acerbè ulciscitur acerrimus scelerum vindex, amittit vitam, sed non vocem. Nihil vocaliùs est morte. Perorant reliquiæ funeris, os revulsum à cervice, pallidum morte, post lacrymabile divortium non silet: relictæ in vultu, in oculis, in supercilio minæ damnãt

 in-

incestos Principis amores, & mortuus timetur, qui poterat in vivis despici.

Quamobrem Maxime inter natos mulierum, Vox es deserti, Vox populi, Vox DEI, Vox palatii, Vox mortis, suam præterea Vocem, ac veluti Phænicem Rhetorum non dubitat Te appellare nostrum Tullianum. Tu quidem quod à morte superfuit Genuæ donâsti; sed Iaroslavia inter monumenta sacrarum ædium te recenset; Tuo nomine plusquàm omnibus titulis, aut pretiosâ supellectili insignitur. Tuum pro aris simulacrum exposuimus; sed habes aras insuper in clientum præcordiis. Ex Te nostratia spiritum, vocemq; rostra fingunt, impetu Sacro in virtutes, ac eruditionem nos impellente. *Dixi.*

ORATIO VNDECIMA.

Magnus inter cineres VALENTINUS.

EQuidem non tumet superbo pegmate, neq; luctantibus in cælum fastigiis exsurgit monumentum hoc, ut quondam Mausoli; attamen moles illa, quæ manus artificum lassavit, eviscerävit latomias, exhausit æraria, ut miraculis mundi septimum adji-

ceretur, serpit infra gloriam hujus tumuli, qui exiguo sudat marmore, modestoq; apice se suspendit. Quid enim? superbia dolendi, arrogans luctuum ostentatio, adhæc insaniens amor Principi Cariæ parentavit. Hic rara pietas, non luctibus consumitur, non secreti mæroris simulacra animat in saxis; sed inter tripudia partes suas peragit amor. Certatur officiis, studiis clientum, ipsum sepulchrale frigus incalescit. Deinde insolentiam doloris, amoresq; inter æstum lacrymarum vesanos expendamus? Nimirū Artemisia, tam superbè doluit, quàm insanè. Quidquid cineris è favillis & rogo superfuit, non urnâ collectum est. Regina ebibit maritum, totasq; funeris reliquias, nè aliud amato conjugi foret sepulchrum, intra viscera uxorius amor, an furor sepelivit. Itaq; Artemisia Cariæ Regnatori tumulus fuit, utiq; casso cineri, cinis futurus. Mox arrogantia laboravit, sudatumq; est in sepulchri gloriam, sed quô nihil clamaretur præter fastum, constaretq; & Mausolum vixisse, & fastuosè viduam doluisse. Ex tot impensis, & opere tam mirando quid amplius accepit orbis, præter septimum miraculum? miraculum (inquam) quod vulgi admiratio coleret, damnaret æstimatio prudentum. Nos, pulchra cum superis, DEO ji

æmulatione contendimus. Cùm enim cælum, sanctissimam mentem, ipso æternitatis sinu, & complexu exceptam teneat, reliquum VALENTINI, quod permisit mortalitas, argento, & marmoribus, imò animis vindicamus. Non hic obversatur libido fæda inter officia luctûs: justa persolvit sanctus amor, & non pullata, aut muliebriter officiosa pietas ad funera Divorum. Exclusimus præficas à sanctitate pompæ, nè plausum temerarent lamenta. Itaq; (liceat enim paulò repetere antiquiora) dum studiosissimus cælitum adorator Nicolaus Lancicius, cujus famam, cùm sanctitas morum, tum vulgata in lucem sapientiæ monumenta approbant, ab urbe illa, quæ Sanctorum, & Patria est, & tumulus, plurima Divorum ossa, quasi arcana Regni pignora, scutaq; Poloniæ, (annus se volvebat sexcentesimus supra millesimum) postulâsset; nec votorum sanctitati supremus terrarum Parens, maximusq; Antistitum Paulus V. obluctaretur, ac tandem expetita Divorum colonia, Cracoviam primò, inde Vilnam, nono post millesimum sexcentesimum annum deducta foret: per fidem! quantis certavêrunt studiis populi, ut Divos è Latio peregrinos mœnibus, aris, monumentis, tantùm non pectoribus exciperent! Ecce autem

VA-

VALENTINO Iaroslavia placuit; Sanctus advena civitate donatus, receptus. Quis explicet universorum studia? quis referat calentis ardorem pietatis? Ibat frequens pompa, instructâ magnificè vehebatur triumpho, effundebat se non civitas duntaxat læta hospite; finitimi etiam confluere, ire obviam, mirari, tripudiare, lacrymas plausibus affundere; nec finitimi dũtaxat, magna insuper terrarum, gentiumq; pars infoderat se ad trophæi spectaculum, ad Vrbis incrementa, ad Divi honorem. Nimirum Italia, Gallia, Scotia, Germania, Moschovia, Græcia, Persis, & quos vario sub nomine, ac vultibus diversis educat aurora, vel meridies coquit, submiserant incolas suos, equidem nundinarum titulô, revera autem Superi egêre, ut in parva urbe, multus terrarum orbis, Hospitem adoraret. Diversæ voces populorum sonabant, vox tamen una erat omnibus; cùm ab omnibus VALENTINUS tutelare Numen, verumq; fessis rebus præsidium diceretur. Vnus ille credebatur validius robur, quàm muri, & satellites, quàm propugnacula, vel armatæ vires posse fortunæ Vrbis conferre. Aggemebant barbari tripudiis, quòd plùs parvis in cineribus Iaroslavia reciperet; quàm eorum superstitio ad suam felicitatem potuerit comminisci. Augebat

gloriam triumphi, quia non ſolus veniebat VALENTINUS. Ibat comes, & ſuo nomine candidior, idemq; purpureus fuſo ob Chriſtum ſanguine *Candidus*; atq; cum hoc Virago ultra virum *Paulina*. Triumphales rogos fruſtra excitâſſes; ardebant flammæ in præcordiis, in animis, in vultibus ſpectatorum. Ad hæc: ſuas Laurentius pyras, ignesq; plusquàm triumphales commodabat, poſtquam diem etiam ſuo honori deſtinatum, ad novos plauſus commodâſſet.

Quid tandem? ſola Mauſolo Artemiſia funus inſtruxit: VALENTINO duæ ex Illuſtriſſimis Matronæ. Fateor plus inibi arrogantiæ vidiſſes, ac impenſarum; plus hic pietatis, ac religionis. Etenim marmor hoc, hæc urna, & ſurgentes capite ſummiſſo genii, nec non pyramis, aliaq; artis opera, ex Illuſtriſſimæ Ducis in' Oſtrog ærario nata ſunt. Animo illa inprimis Hoſpitem Divum excepit, deinde munificentiâ, hinc ſurrexit monumentum, & jam nonaginta durat annos. Ibunt ſæcula; ſed tempus edax, dente, quo aheneos etiam muros præmordet, quo, ipſum Mauſoleum, aliaq; miracula abligurivit, nè libare quidem audebit hos cineres, qui magno ſpiritu conſecrati ſunt, hoc conditorium, quo depoſitum grande concluſimus. Equidem ſacrilegæ Suc-

corum

eorum furiæ; infans Moschorum rabies, hanc veluti arcem crudè aggressa est, impiè concussit, laceravit ferocissimè: sed videte Auditores humanius saxi ingenium, religiosiorem rupis naturam, quàm Hæreticorum, quàm Schismatis. Pars marmoris cessit ictuum atrocitati: sed quàm major exstat, quæ primam operis effigiem præsentat? Concussi ergo sarcophagi fragmenta per terram jacebant, & rigor lapidis tanquam indignabundi damnabat vulnere generoso hostilem impietatem, suam verò integritatem confessus est. Nam invicta pars tumuli totum retinuit VALENTINUM. O verè nunquam constantius marmor, quàm ubi suo pro pignore pertinax resisteret! tunc patuit VALENTINUM nomini satisfecisse, dum contra impetus rabidos valeret, patuit quòq; magnum inter cineres etiam VALENTINUM extitisse. Sua pro Divo sanctitas pugnavit, & marmor fidele duravit in obsequia, necnon tutelam.

Marmore VALENTINUM claudi, ac veluti obrigescere inter saxa parum est: aptentur metalla, ars effingat argentum, spargat se per plura naturæ dona pretiosum pignus. Sparsit: postquam è Lubomirsciano, qui cælo est gratissimus, Amne, pretiosa tempestas enatavit. Nimirum Illustrissima

ſima Helena Lubomirſka Gracovienſis Palatina, ut pretioſiùs Divum amaret, argentum munificè impendit. Sic in metallis pietas ſe multiplicavit. Itaq; magna ſui parte, intra argentum recumbit VALENTINUS, quod de exuviis ſupererat, veteri, id eſt marmoreo conditur monumento. Proinde meritò quis proclamet, magnum etiam inter cineres parvos VALENTINUM, quando nè mortalitati quidem poſthumæ unum ſatìs eſt monumentum.

Hæc in ſaxis, hæc in metallis conditoria: plura in præcordiis latent. Vidiſtis quanto ſe agmine inferrent; (& iſtud eſt annuum veluti tributum) non plebis duntaxat omnia mirantis, credentis omnia multitudo; at etiam eorum, qui ratione componunt pietatem, & plùs ex fortuna non rudi acuminis habent, incaleſcerent vota, ſtudia certarent. Circumfundebat aras diverſitas & populorum, & Ordinum; munificentia cumulabat donis altare, imaginem, marmor. Totidem pæne ſpirantia monumenta, & coloſſos viventes aſſurgere VALENTINO dixiſſes, quot clientes aris advolveret demiſſio. Candorem Oſſium abluimꝰ aquis? mox quaſi in fontem omnis è VALENTINO profluxerit valetudo, aut arcana vis medendi imbuerit undam; certatim aquas, & innatantes

iis

iis salutem, non vana superstitio, sed bene credula pietas in remedia morbi raptat. Integritatem virium se haurire putant, dum aquam hauriunt: quam sacravit cinerum sanctitas. Hic populo medicus liquor, hoc, plusquam salutares herbæ, pharmacum. Et certè ita evenit, ut sæpe fiducia bibendi, simul aquas, simul exhauriat valetudinem. Vidimus non rarò salutari unda exstinctos febrium ardores, aliis quoq; morbis aquâ interdictum, ut meritò quis dicat: latent hic naufragia morborum, vita hinc enatat.

Neq; Æsculapium duntaxat agit VALENTINUS; contra omnia videtur excubare fata, cum omni calamitate contendere, omnia profligare infortunia. Idcirco in eam populos fiduciam erexit pronus in tutelam Divus, ut infelicitas mortalium, ad tumulum hunc, veluti ad commune provolet asylum. Nimbo gravidæ nubes laxantur, & glebas plùs æquo infusa tempestas solvit? soles torridi exurunt novales, atq; prorumpentem in culmos cererem præfocant? vel certè in sulcis adhuc enecant deplorata colonorum vota, ut deinde irritus anni labor intereat, solaq; in agris demetatur fames? tunc sterilitas procurrit ad Cineres Divi, tanquam ad horrea, imò (liceat ita dicere) provocat à cælo, veluti ad æquius tribunal; agitq;

con-

cōtra parcitatē ſoli, àëris inclemētiā, injurias cæli. Nec vota aut ſpes deluduntur. Adim⁹? admittimur. Supplicamus? exaudimur. Nō obriguit inter marmora VALENTINUS: quam ſpiravit mentem; ſpirat: quâ facilitate patebat olim; patet: ut è cæli honoribus, nihil videatur ſibi potiùs decerpſiſſe, quàm uſibus publicæ ſalutis, & ab alto proſpicere, & in urna excubare, tantùmq; felix eſſe ad publicam felicitatem. Hìc ergo nubes, hìc pluvia, hìc cælum ipſum videtur condi. Adeò nec munifica manus contrahi: nec vaſtiſſimum pectus arctari poteſt! Quin etiam robur hìc, & auxiliares ſuppetias includi credimus. Dum incubat hoſtilis furor, & è vicino arma obſtrepunt, huc formido popularis convolat, Divumq;, non ſecus ac Cōmilitonem, aut Imperatorem belli, vel Numen tutelare votis ad prælia conducit.

Advertimus ante ſexennium, dum volatilis ille exercitus, volucres illæ Harpyjæ, Stymphalides illæ omnia perrumpentes, caſtra inquam Getica in jugulis propè noſtris volitarent, mediamq; de Ruſſia Scythiam faceret ſibi audendi licentia, tum populos ruere, tum trepidationem publicam fluctuare, tum majora veris affingi, metuiq;, imò nec majora. Poſt oppugnatam Leopolim, poſt

poſt plurima inibi flammis abſumpta, violata ferro, Iaroſlavia non expaviſſet? ecce autem feſſis, & tantùm non collapſis rebus Solatium, Columenq;. Huc concurrêre populi vota, ruensq; fortuna confugit in ſinum VALENTINI. Ibamus anxii metu ad aram, & videbamur arcem reperiſſe, ſed arcem, quam nulla hoſtilitas concuſſerit. Sic enim animo quisq; verſabat ſuo: clementiam ſpirat VALENTINUS etiam nunc poſtquam exſpiravit; ergonè crudis mentibus permittet innocentiam? Tutelare Numen eſt: ergonè in manibus Scythiæ loris nos adſtringi, atrocitate barbara ſuam Vrbem premi patietur? Non deerant tunc vires humanæ, cùm undiq; confluerét robur Equitum, Procerum corona, ad hæc ingentia capita adeſſent: tamen metus, qui telis hoſtium penetrabilior eſt, animos oppugnabat, expugnaſſet certè, ſi futuras à cælo ſuppetias deſperaſſemus. Interim dum hæremus altari, dum ſacram VALENTINO lucem trepidatione, ac votis exigimus, dum lacrymis oppugnamus, invocamus ſuſpiriis Tutorem, proxima nox fauſtiſſimum rumorem vexit, repreſſum à potentiſſimo exercituum Duce Staniſlao Iabłonowſki hoſtile robur; reliquam colluviem quæ bello & hiemi ſuperfuit, in ſuum chaos, in ſuam dicamne Tartariam.

tariam, an Tartarum? remigrâsse. Hinc præsentes nobis & aures Tuas magne Tutelaris, & animum interpretabamur, quando tam citò nos exaudire, citius subvenire valuisti.

O diem illum beatissimum! ô lucem fortunatissimam! jam altera dies fluebat, nos eam votis, nos plausibus, nos tripudiis cum hesternâ conjunximus. Adhuc libuerat VALENTINUM celebrare, dum ejus beneficia recenti calculo computaremus, eumq; tanti auctorem nuntii crederemus. Tunc mutato nomine Iaroslavia; Valentia dici maluisset, quanquam nullo non tempore nomen hoc exambit.

Equidem non totum se; qui semper integerrimus, integritas imò visebatur, intra Mausoleum hoc numerat VALENTINUS; siquidem pietas avulsit caput, atq; sub alio & tumulo, & cælo condidit. Attamen neq; nos acephali, etiamdum capite hoc destituimur; neq; ille suos inter cineres diminuitur. Nimirum major erat, quàm ut Iaroslaviâ velut orbe quodam clauderetur. Porrigi debebat caput ultra Vrbem hanc; tantùm, non ultra terrarum orbem. Augeo: quamvis aliò promisit caput Sanctissimus Martyr, illud tamen cogitationibus publicæ salutis quis ambigat intentum? qui spi-

ſpiritus jam cæli complexu exceptus, huc ſe evolvit, ubi mortalitatis exuvias, pietas nũquam officiis laſſata, proniſſimo cultu, crebris anathematum ſolenniis, maxima contentione votorum ſe honoribus Divi impendit. Itaq; diminutus non eſt, quem ſua concluſit urna; quia nomini immenſo amplitudinem, celebritatem famæ decrevit cælum.

Quid plura congeram? addes amplitudini Tuæ incrementa; ô inconcuſſum Polonæ rei, utiq; labantis, & feſſæ columen. ſi ædem hanc, hanc Vrbem atq; incolas; finitimos etiam tutelâ complecti, gratiis refovere perges; ſi arma Patriæ, ſicubi languent, animabis, ſi animis unitatem, unitati conſilia, conſiliis rationem, rationi pondus addideris; ſterilitatem meſſium, morborum contagia removendo ab annis, hoſtem à finibus Patriæ, ut palàm ſit, Te neq; in tumulo hoc, & intra parvos cineres eſſe diminutum.

ORATIO DVODECIMA.

Immenſus Poloniæ Spiritus

S. STANISLAUS

EPISCOPVS CRACOVIENSIS.

IMmenſum Poloniæ Spiritum, auguſtiſſimam Regni Mentem, ſi appellavero Sta-

NISLAUM, non damnabis Magne Auditor titulum, quasi insolentiam. Magna imperia viris ingentibus, eorumq; integritate, industria, cæteris demum virtutibus, perinde animantur, atq; suis corpora animabus. Adhæc, quid superba Oratio crepet avitum nomen? quid stemmata, & imagines producam? quamvis hæc etiam lumen sint ad gloriam, & pabula virtutum. Ego Præsuleos computem census? ego infulæ honores celebrem? at didici, nudam Sanctitatem speciosiùs incedere, quàm scelus phaleratum, quàm aucta fortunis flagitia. Non tumebit ergo dictio Magne Præsul ad Tuas laudes, nè modestia fastuosè sacrilegè pietas adornetur. Ludant ingenia leviora talium narratione, quæ fastum nutriũt, & omnis de fortuna jactatio fluit in cæsum gloriæ, nec pudet mendaciis obruere laudes; dummodò magnificè extollatur Mecænas. Mihi non stylum colere; sed virtutes, constitutum est; proinde ea pertexere, quæ digna magno Antistite decora, atq; Poloniæ commoda exaggerent. At verò non opum affluentia, non felicitas nascendi, non deniq; illustrium pompa titulorum conferunt ad utrumq;. Novimus totidem veluti telis, non privatam modò gloriam esse profligatam, verùm etiam multos vixisse

xisse felices ad infortunia regnorum, stragemq; publicæ rei. Demum quid pulchri casus, etsi merentur publicos plausus, atq; vulgi admirationem, Præsulem, cui non casu, sed cæli munere constitit laus vera, exornent? Credite Auditores imperia sui tenere, atq; intra animum erigere quendam veluti Senatum, qui in sui curas tanquam in regni cujusdam incumbat, postquam verò mens ad leges optimas composita est, eosdem conatus transferre ad consilia, studiumq; publicæ salutis, illustrius est, quàm consurgere tiaris, quàm censu divite cumulari, quàm curulibus attolli, & omnium aures, oraq; vehiculo famæ loquacis prætervehi. Quare non ex ingenio, arteq;, emptæ & ventosæ loquentiæ laudatio coalescet, dum magnum Antistitem, immensum Poloniæ Spiritum, augustissimam Regni Mentem nuncupabo.

Vt STANISLAUS immensa Poloniæ Mēs, ingens Regni Spiritus foret, toto & natura, & fortunâ, & gratiæ incubuerant apparatu. Casu quidem plurima egisse videntur: mihi tamen auguria sunt magnæ indolis. Nasci in campo, illâ è stirpe emergere, quam gentilitium insigne Crux adornaverat, nomine plenissimo laudis insigniri, sortem putatis? credite, casus hic nostræ pro-

lusit felicitati. Quasi enim parturiens fortuna, & si quid Lucinæ præter nomen est, hæc quoq; diceret: nascere magne Pusio, nascere; sed sub cælo, sed in agro. Non enim privatis usibus, aut domesticis penatibus partus hic destinatur. Crucem aspice: Præsulea quondam erit, & futuri cruciatûs puta non inane pignus ac monimentum. Hôc è signo mundi felicitas pullulabit: Divina Tibi prope genesis; igitur ùt Homini DEO non ad jactantiam Crux, sed ad commoda populorum obvenit, pariter Tibi. Adolesces inter virtutes, inter titulos canesces, concides demum cruciatu, qui Tibi equidem letalis, plerisq; tamen saluti erit. Nomen ex fonte lustrico enatet; sed STANISLAI. Laudem sonat, verùm non eam, quâ turgidæ mentes insolescunt. In gloriam Numinis incumbes, & consanguineam ad laudes Poloniam eriges, insolita virtute. Interim magnam concipe animam, Spiritu generoso pueritiam imbue, & Te ingentibus fatis præpara.

At verò inconsultè egerant sive gratiæ, sive fata, nisi doctam STANISLAO mentem providissent. Erudiendus erat, qui cæteros erudiret. Sed nescierant Poloni, an domi sapere possent. Non deerant, quæ erudirentur ingenia: deerant magistris palæstræ

palæ-

palæstris magistri. Itaq; percrebuerat, ferrum in Polonia posse excoli, non posse animos: Cererem quoq;, & Martem gigni, non Palladem, non mentes eruditas. Si Palladium foret rapiendum, tantùm non Troja petebatur. Et tamen sapiendum erat. Malè constitit cultura morum in populis, ubi regnum sapientia non tenet. Et barbari ferro decernunt; non decernunt ratione, nisi quos eruditio limavit. Gnesnæ itaq;, in illo nobilissimo tunc maximoq; Poloniæ nido; sed exili nidulo scientiarũ, postquam STANISLAUS tirocinia scientiæ præjecisset, Lutetiam, id est Academiarum fontem, ærarium Theologiæ, Areopagum sapientum, sapientiæ fundum, Atlantem fidei, doctrinæ cælum, adiit; sed adiit! Pleriq; Patriam simul, simul animum permutant. Peregre itur ad gentes, quas cæli blandioris emollit clementia, ubi omnia ad videndi, & audiendi voluptatem sollicitant; mox curiosa remissio novos homines fingit, sed molles; ut libeat nihil audire, ac intueri, quod non sapiat Sirenes. Hi rosas hyeme, glaciem æstate petunt. Postquam verò luxuriam latè felicitas fudit, tunc laboratur suppellectili, & in domos cura, censusq; expenditur. Nec mensæ arrideat, quæ patrium olus apposuêre. Gulæ equidem domesticus capo

non sufficit tantùm, at etiam sapit, sed phantasiam, (ùt ajunt) quam delusit exoticus convivandi ritus, offendit. Viles itaq; herbæ, & tantùm non aconita, ad lautitias quæruntur. Quod magis detestor, fracti sermonis, & gestuum lascivia sic petulcit, ut non vir eloqui, sed dimissa è caveis utiq; *nemorû convitium pica*, aut solers humanæ vocis imitator psittacus, humana mentiri vocabula videatur. Vel si immigratur in terras, ubi crudos civium mores exercet tristis prudentia, tunc simulatores omnium non castigatam mentem afferunt, sed inamænum fronti induunt supercilium, lætissimos quoq; animos rigore asperant, non secus ac molliter tumentem fluvium glacies injecta. Quin & tristissimâ taciturnitate ora obstinant, sed cùm simulant Curios, hominem prope exuerunt. Crederes ex Trophonii horrido specu, non alienis è regnis reduces emersisse. Inde mihi singula reputanti videntur plerią; non Scaldim, Tiberimve, non Rhenum, vel Eridanum, Tamesimq;, sed Lethen, & cum hac oblivionem nativi moris, atq; Patriæ bibisse. Imò nec bibunt; quia non ferunt aliam indolem, impetumq; alieno ex fundo; sed simulant, simiæ Regnorum. In hos ego non detonem? evehitis pecuniam, invehitis vitia!

tia! non licet à Patria diſcedere, quin ſimul ab inculpatis moribus diſcedatur? Patrium quandoq; ingenium alienis artibus miſcere, decorum eſt: penitus abolere, neq; tamen aliam ediſcere urbanitatem, quæ conſentiat natali ſolo, quid hoc inurbanius? Non ea STANISLAUM mobilitas circũagebat, ut pro arbitratu alium, & alium hominem referret; quia Szczepanovium ſe meminerat, non Prothèúm. Nihil horridum in mores admiſit, & nihil molle; cùm non liberet, naturam, aut aſperare, aut effeminare. Venuſtiſſimum id rebatur, & è genio Viri, ſi non adulterina imitatione, quod naturæ eſt, corrumperet; ſed ſimilem ſe, & tantùm meliorem, doctioremq; reveheret ad patrios Penates. Pariſiis itaq; optimum, quia eruditum, quia integerrimum, ex ipſiusmet ſapientiæ, necnon virtutis pectore, ſpiritum, animumq; hauſit, quo ſuam deinceps Poloniam afflaret. Neq; enim ſcientiâ ſe excoluerat, ut eruditionem ventoſa ambitio jactaret, aut verſa in quæſtum ſapientiâ titulos mercaretur, compilaret opes. Sanctius erat, roſtra adire, fulminare vitia, profligare ruditatem, impietatem proſcribere, ad legem virtutum, DEIq; plurimos formare. Revixiſti Polonia, reſpirâſti pietas, in duris armis, ferreisq; quia bellicis Polonorum

pectoribus; postquam contigit, tam vastâ, & tam Sanctâ mente animari. Altiùs tandem culmen virtutem istam, & eruditionem exambivit. Te quidem STANISLAE supra cæteros vexit pietas; modestia tamen infra omnes dejecit. Mereri honores libet, non libet admittere; quasi infulæ apicem, scipionem Præsuleum, purpuræ decus, in virtutis contumeliam fortuna depromeret. At non potes latere; etsi avidissimè velis Lampertum fata exsolverunt, squalor omnia tenet: Te reposcit dignitas tanquam colla plura, nisi in tuis inclinata humeris recumbat. Monstra Tibi occurrent innumera vitiorum, quæ profliges. Zula proscripsit deliria haruspicum, qui in extis pecorum, ut superstitiosè futurorum semina investigabant, ita dolosè fatuèq; fabulas velut cæli arcana jactaverunt: tu præstabis, nè in vitia pecudum homines prolabantur. Zula eliminavit tripodes, & oracula responsorum, & quidquid teterrimo è suggestu infernus malè insusurrabat; Tu perficies, ne sibi perdita impietas mortalium, inter vitæ illecebras, & criminum naufragia, blandiatur. Zula divinationes quasi hydram Alcides oppressit, commentitias Præficarum lacrymas, & muliebrium querimonias næniarum, lamentorumq; insaniam præfocavit;

tu incumbes, ut pia comploratione, & lacrymis flagitia hominum diluantur. Quantum nunc erroris, & scelerum serpit; tantundem rectè actorum, Te authore, Te exemplo, Te gravissimo virtutum exactore pullulabit. Deniq; pietatem & Religionem, quæ enervis, tantùm non emortua jacebat, sanctiore spiritu animabis. In Te omnium voces, & vota consonant: Te favorabili murmure jam inaugurat fama, Te suspiciunt plebis desideria. Te pronus favor Procerum provehit, Te vocat in fastigium consensio bonorum; universa Polonia non judicium duntaxat hominum, sed cæli etiam in consilium assumpsit, ut Infulæ Cracovienses Tuo vertici incumbant. Quia electione hac salutem populi, virtutis regnum fundari, omnibus persuasum est. Piaculum crede, arbitria cæli, Superûmq; non probare. Tamen obstinatum erat STANISLAO non admittere honorem; si perinde in aliorum æstimatione, atq; in suo sinu latuisset. Cogendus fuit, ut præesset. Cogi non poterat nisi spe agendi fortia pro DEO, & asperrima tolerandi. Hæc illum ratio publicæ salutis gubernaculis admovit, ita adnitentibus sacri Senatûs Procerибus, comprobante Alexandro II, & quia idem cæli atq; Vaticani arbitrium est, Superûm concilio non

reclamante. Itaq; STANISLAUS Gracoviensibus tiaris altè consurrexit; altiùs probitate. Non se Antistitem putabat, nisi virtute cæteris antestaret. Ipsis fascibus ad majora se incitabat, ut optimus evaderet, cùm alios formaret bonos. Credite, Salium non experta est Gracovia, nisi cùm prosiliret in ardua mens invicta. Neq; enim novas quærebat Cathedras; sed novas bene merendi de publico causas. Maxima Pontificem cura circumstabat, ut ad meliora Sacerdotium monitis, subditos sibi populos doctrinâ, cunctos exemplis animaret. Subitò convaluerunt sacra, & pietas movit lacertos. Præsule hoc nemo sub egestatis malignitate ingemuit; cùm ideò fortunæ viderentur affluere STANISLAO, nè quisquam viveret infortunatus. Argenteis ille pugnavit hastis, & vicit infortunia, quibus mortales oppugnantur. Palàm erat, quantum intersit inter Præsulem, quem eligunt homines, & quem Superi. Quos consensio humana summis admovit, ad privatum vivunt. STANISLAUS, quia publica utilitas, & exorata terris Numina, non ambitio propria fecerat Antistitem, sic Mitras excepit sacro capite, ut sanctiora consilia sub infulis nascerentur: ita caduceum manu complexus est, ut columen nutantium rerum, & scipionem, & se faceret.

Exi-

Exiguum erat, si Pontifex ad commoda viventium expenderet vitam; tumulis etiam spiravit. Funus iam triennc Petrus decumbebat; primum decus mors corroserat, ipsum cadaver suos inter cineres vestigia hominis vix retinuerat. Si quid de leti damnis restaret; horror erat. Intulit se tumulo STANISLAUS; votis adiit cælum, & non humana ausus, ad vitam à morte, & pœnis manes sollicitavit. Mox ossa redire ad prisca fœdera, compagine cohærere, reparari vigore, soluti in unum cogi cineres, renasci corpus, spiritus violata fatorum lege, reparatis innecti membris, totum deniq; se ipsemet Petrus mirari in sarcophago, vitæ, officiis fungi, moveri, excussoq; letali somno è cineribus, & busto consurgere, emergere à sepulchro, efferre caput in auras, sole, dieq; frui, regium tribunal subire, & vocis libertate in sontes detonare. O augustissimam Mentem! ô ingentem Spiritum! qui possit busta difflare, afflare mortes, funera animare, & sepultam cum Petro veritatem è tumulo evocare!

Gravius Antistiti certamen incubuerat contra vitia, quàm contra mortem. Et poterat omne flagitium præfocari; nisi ad Principis exempla vixisset, suosq; è Domini moribus regnum composuisset. Etenim bel-

latio

lator ille Boleslaus à Marte receperat se ad voluptatem, tempusq; tranquillum in flagitia contulerat; quasi non liceret esse pacato, nisì bellicarum laxamenta curarum, criminum suppleret contentione. Adhæc, postquam debellavit hostes, insanus præliandi felicitate Princeps, in cives ferrum verterat. Nec verò in jugulis virorum sævitia vires omnes consumpsit: imbelle etiam genus feminæ, raptatæ à fuso ad fundendum sanguinem. Non sexûs reverentia profuit, non lacrymæ, non forma, non ætas. Ita flagitiis fœdatus Rex in flagitiorum exarserat ultionem! Culmen itidem juris, & æqui ruebat, dum tantum Majestati licere creditum est, quantum hæc posset. Et jam paucis sub malo Principe placebat virtus; ad exempla vivebatur. itaq; Davidis instar, (nam quid ego in laudibus Præsulis sacra deteiter? aut minùs oratoriè me credam in laudem STANISLAI diffundi, nisì cōtinuò profanus orator adstrepam?) more inquam triumphalis illius pastoris, qui ut turrim spirātem terræ allideret, caput petiit Antistes agendum sibi opinabatur. Tacitus
" interim agitabat: Quid agimus? opprimi
" vulgaria non possunt peccata, nisì Princi-
" pe correcto. Aggrediendus est precibus,
" & siquidem hæ sive viles, sive imbelles

vide-

videbuntur, monitis. Verùm Rex eſt; ergo non monendus? arma gerit, & in his mortem: ergo ferro ſuccinctos furores, armata DEO conſtantia formidabit? Sit ille vel tonans, non armiger; ſi evertit innocentiam, ſi jura dat ſceleri, ſi criminibus cælum oppugnat, ſentiet me hoſtem. Malè hoſtem appellavi: neſcit pietas hoſtilia moliri. Furor hic à cælo eſt, & pro cælo. Regias merebor iras? ſed pro DEO. Fractus illabatur orbis, nihil terrent fatalia generosè mori cupientem. In cenſu fatum reponetur, & mors ſic obita intra gloriam ſtabit. Malim hic iratos Boleſlai vultus, quàm propitios. Ira forſitan aut Principem bonū, aut me Martyrem efficiet: favor utrumq; eâdem involveret ruinâ. Ibo, ibo: pulſabo Regias & ædes, & aures. Si omnē non exuit Regem, hominemq;, amabit verum; quodſi inter vitia ſenſum honeſti amiſerit, efferabitur atrox, ſanguineus, crudelis, & mucronem, quo edomuit hoſtem, in veridici jugulum ſtringet. Audebo tamen. Eſt mihi tantum & animi, & ſanguinis, quantum vel immaniſſimus Princeps poſſit effundere. Pellere poterit ex hoc ergaſtulo animam, non poterit trucidare. Fugiam à corpore, à ter-

ris,

" ris, à tyranno ad cælum; & justius post
" hæc mortalia tribunal reperiam, ubi nec
" Reges sua tuetur Majestas, nec innocen-
" tes inopia damnat.

Ivit plenus sûi, DEIq;, hoc vultu, quô aras, & cæli arcana solitus erat adire: ivit, & terruit Moschoviæ terrorem. Inprimis supercilio, (nam miri sanctitate, piaq; fronte, nihil contra piacula asperius incurrit) deinde oratione; etsi hanc gratiæ condirent. Et blanditia suadæ fulminat sontes.
" Ajebat itaq;: Bello maximus, æmulorum
" ferociam, exterorum fidem vicisti Boleslaë:
" fregisti Moschoviam suâ barbarie, furoreq;
" insanam, & jam vel hostium confessione
" Sarmaticus Alexander, Poloniæ Mars ce-
" lebraris. Sed peccabis in gloriam tuam,
" pollues nomen, famam corrumpes, si
" vincas ferro, vincaris à vitiis. Quorum
" solos regiæ penates conscios arbitratis,
" jam in publicum enatarunt. Crede Prin-
" ceps: fortuna quæ te evexit, eadem sic
" ostentat orbi, ut nihil occultum esse pa-
" tiatur. Illa domum, & cubicula tuâ, in-
" timosq; secessus reclusit, omniaq; arcana
" noscenda famæ proposuit. Rumor est
" vulgi, quidquid voluptas inter secretos
" parietes egit. Et jam exempla Domini
" subjectos sollicitant ad imitationem. Ad-

nescis

" nescis magne Rex, quòd mala imperes,
" dum patras? Principum acta, sunt ve-
" luti decreta agendi, & imperia. Magni-
" ficum item est, quod tuos à contagio vi-
" tiorum reprimas, ac revoces: sed magni-
" ficentius fiet, si eâdem honesti lege te pa-
" riter adstringas. Plectis vitia, mandas
" æquitatem? regium hoc, & immortale.
" Gloriam cumulabis summo decore, si à te
" exiges, quæ civibus imperasti, talemq; te
" exhibebis, quales jussisti, tuis quicunq;
" nutibus reguntur. Aliàs per regni late-
" ra, (nam rarò soli Principes plectuntur)
" ultor DEVS petet, ut confodiat Majesta-
" tem.

Plurimùm egerat Antistes, nisi assuetudine delinquendi contumax animus sua dedecora adamásset. Crescit excusatio piaculis, & mens in flagitia præceps, præstò habet commenta, quasi excubias criminum, & custodiam sceleratì moris. Deinde monita salutis degenerant in fomenta irarum, in facem tumultûs. Itaq; Rex nunc blandiri STANISLAO, nunc promisso vitæ melioris illudere, tandem ferocire, & in meditati consilia parricidii consentire. Heu me! fædus ille, sæculisq; pudendus dies, qui nec supra omnem atrocitatem horribili, Præsulem aris, vitæq; ademit; sed ademit crude-

delissimè! Nimirum Boleslaus Regem exuè tus induerat carnificem. Ipse (adeò ira emovet mentes! adeò ferocia degenerat in furorem!) qui olim castra in hostium stragem, ducebat, in Præsulem armat, educit, exemplo sæviendi instruit satellites, lictor è Principe: invadit pro aris stantem ad aras sacrato vertici infligit vulnus, & Pontificium sanguinem Divino permiscet. Vt deinde sentiret se mori STANISLAUS, unum corpus millenis mortibus conficit Boleslaus, tandem in frusta sectum veluti Absyrthum Medea, seminat per campos Antistitem.

Fudisti Sanguinem STANISLAE; at Polonis Spiritum infudisti. Tantum abest, ut dicam Tuam Magne Antistes animam non receptam cælo, sed Polonis incubare. Hinc nobis Sanctissimi Antistites pullulant, hinc revivifcit pietas avita, & è funere Præsuleo ingens virtutibus spiritus afflatur. *Dixi.*

ORA-

ORATIO DECIMATERTIA.

DE S. JOANNE CHRYSOSTOMO Archiepiscopo Constantinopolitano.

Totus Aureus.

SI Suadam, vel Mercurii simulacra fingi oporteret, neq; hic è vili stipite educendus, neq; illa è rudi metallo fundenda esset; ubi aureum illud Os laudibus attollo. Si enim eburneam Sphingem Hortensio Verres dedicavit, si in tumulo Isocratis sirenes sua Respublica collocavit speciosas, si Demetrio Phalereo trecentæ sexaginta statuæ (dicam potiùs statuarum exercitum) attributæ, si Athenienses Gorgiam Leontinum aurea honestarunt imagine, Pericli, non tam ad memoriæ perennitatem, quàm ad fastum, varii decreti sunt honores: id tantò æquiùs debetur CHRYSOSTOMO, quantò hic partitione solertior, quàm Hortensius, sensu profundior, quàm Isocrates, suavior quàm Demetrius eloquio, subito dicendi impetu, promptior, quàm extemporaneæ artifex eloquentiæ Gorgias, demum, quàm Fulminator ille Græciæ, concitatior ingenio, sententiis vibrantior, magisq; fulmineus dicen-

do. Itaq; omnia is meretur, quæ cæteri partitim. * At verò *mortalis honos, agili quem dextra laborat.* Mihi constitutum est, IOANNI magno adstruere monumentum, quod non tempus edax admordeat avaro dente, non injuriæ cæli demoliantur, non livor hostilis subruat æmulorum. Iam operi tanto nec Themese æra, nec Paros marmora, nec aurum Arabia ministrat: sed neq; celum Phidiæ sufficit, aut Praxitelis. Habet intra animum venas auri, officinam sub pectore, IOANNES, unde cùm in titulos, tum in monumenta gloriæ, atq; in nomina materiem depromam. An enim sufficiat CHRYSOSTOMUM dici? quasi verò os tantùm illi aureum, non etiam animus, mores? Quamobrem si illis consenserit Oratio, totumq; aureum nuncupavero IOANNEM, næ ego aurum auro plumbeus licèt Orator adjiciam.

Nolim hîc incudem quandam mentium humanarum cogitetis, in qua supremus rerum Artifex fabricet Principibus ex auro, nobilioribus ex argento, vulgo ex ære, ex plumbo, è ferro animos. Eadem summis æquè, ac infimis natura est, & tantùm dispar natalium fortuna: mentium quoq; origo, cælestis est, ac Divina; quamvis contin-

* Stat: Lib: 5. Sylv: poëm: 1.

tingat has fœdo sub corpore hospitari, alias in formoso, tanquàm in Regia Xerxis agere; uti etiam fortunæ blanditiis mulceri, vel agitari infortuniis. Vnumquemq; hortari audebo: * *Exsurge, & te dignum finge DEO: finges autem non auro, nō argento. Non potest ex hac materia imago exprimi similis DEO.* Hominum pretia juxtà, ac vilitas ex actis promanat, prout hos flagitio fœdari eveniat, aut virtutibus, quasi Sole colorari. Quæ cùm ita se habeant, non meritò aureum Hominem appellabimusDivum Antistitem? sed neq; sapientiam id est moderatricem mundi, virtutum decus, & nauclerum, rerum omnium (secundæ sint illæ, vel adversæ, humanæ, vel divinæ) apicem, ac veluti solem alterum excludo, ut caput aureum IOANNI jure tribuatur. Neq; enim tale dixerim, quod tiaris equidem assurgit, quas coronarium decorat aurum, gemmarum flammæ accendunt, perurunt sapphiri, adamantes in pretia tollunt; interim exulat Minerva cerebrò. Credite Auditores: insigniri fulgentibus vitiis & carere mente erudita, est habere decus, quo & aselli, & simiæ possint ornari. Objicite enim mihi sublimem coronis, ac infulis ruditatem: audebo monstrum dicere non dissimile, si

* *Sen: ep: 31.*

quis humanæ cervici, equinum caput appingeret: aureum verò, & pretiosum, etiam sine auro, sine gemmis, dum ornetur sapientiâ. Cæleste hoc metallum, hoc monile Divinum, partus hic æternæ mentis plus addit pretii, quàm universa, quæ tellus pretiosè gignit. Eò spectant quæ memoravi, ut IOANNEM aurei quoq; capitis, vel (si dicere licebit) Chrysocepham appellemus. An enim caput illud non sapientiæ sacrarium, non gymnasium scientiæ, spiransq; Palladium credemus, quod plura didicerat, quàm cæteri legerunt? Agente in humanis CHRYSOSTOMO frustra bibliothecas excussisses: adeundus erat IOANNES, jam quidquid eruditionis per volumina sapientûm fluxit, id ille tam feliciter, mente capacissima amplectebatur, ut bibliotheca vivens, aut scientiarum universitas videretur. Ætate prima subierat Athenas sapientiæ regnum; sed postquam indoles ingenii feliciter in sinu Musarum adolevit, uno capite Athenas, & quidquid Academiarum orbis suspicit, uno capite in Patriam revexit. Quamobrem, nè septem duntaxat Græcia sapientes habuerit, fecisti CHRYSOSTOME; imò, ut unus deinceps foret sapiens, eruditione plùsquàm humana præstitisti. Quid enim? Septem illa sapientiæ nomina ore, famæ versata, de-

can-

cantata Græciæ plausu, admiratione mundi celebrata, desipere videbuntur, si Tibi comparentur. Tument famâ sapientiæ? sed fabulosis commentis delirum magìs, quàm eruditum faciunt orbem: eloquio diffluunt? at ubi phalerata dictio, & superbè in numeros dispensata Oratio prætervecta est aures; nihil sui præter admirationem animis infigit: ideoq; fumo similis, qui postquam se è culina ambitiosiùs extulit, in alto vanescit. Iam CHRYSOSTOMUS contemplatricis animæ facultatibus, studiisq; sapientiæ cælestis, ita se imbuerat, ut non Athenis literas didicisse, sed rapuisse à cælo credi potuerit. Quod speciosissimum reor, compendia sapientiæ contraxerat in animum, ut unus fecerit omnium universitatem scientiarum. Nemo enim didicit, quod IOANNEM lateret. Rarissimum hoc! Alius affectibus mollitur; sed non perinde abdita rimatur. Hic intellectum, sed non æquè excolit mores: ille subtilia meditatur, sed caligo involvit mentem, ut sibi sapiat, & sibi loquatur. Plerisq; concessum est, ut arcana cæli faciliùs, quàm OEdipus involucra Sphingis evolvant; eosdem fæcundiras eloquii destituit, dum cultu horrida, ac veluti per salebras devoluta oratio asperat magis aures, quàm influit. Nonnulli facundia, qua

si quodam torrente diffluunt; sed studiosiùs periodos limant, quàm mentes; cùm tantum moderatricis animorũ Philosophiæ desit, quantum suppetit eloquentiæ. Postremò ut Heroum duntaxat acta Homerus olim, dithyrambos Menalippides, Sophocles Tragædiam, statuas Polycletus, Zeuxis imagines effinxit; sic ingenia plerumq; discretis facultatibus exercentur, ratòq; animi se exerunt in multa. CHRYSOSTOMUS, omnis homo videbatur, cùm Philosophum Theologo, utrumq; Oratori sic misceret, ut non minùs subtiliter, quàm facundè copiâ dicendi exuberaret, neq; humaniores literæ subsiderent, cùm Divinæ promebantur. Nempe Platonem fecit magis Divinum, Christianũ Socratem, ut sanctiùs philosopharentur, utq; argutæ philosophantium subtilitates, se legibus Christi subjicerent, cùm supra naturam ingenio vehuntur, necnon concinna Oratorum suavitate. Rursus Christianam Platonicis dogmatibus Philosophiam ita temperavit, ut sacrorum majestas oraculorum nusquam reperet dicendi humilitate, nec desiperet nectar cæleste, quod dulcior suada condivit. Nusquam proserpit facundiâ IOANNES, ut nonnulli, qui dum cælestes evibrant sensus, à terris vix levantur. quasi verò non liceat ex arte fundi periodos, quo-

ties ſacra promuntur oracula. Et cæli Genios ex auro formari affabre, decorum eſt: & divinam ſcientiam non jacenti ſtylo protrudi, impexoq; eloquio comere peſſumdatos mores. Perſpexiſtis jam Auditores, quò ſtylum intorqueo, nimirum, ut pateat ſui nominis Virum, ideſt aurei CHRYSOSTOMUM oris extitiſſe. Aureas certè catenas ſuada in ore Magni Antiſtitis nectebat, ut hos amore virtutis illigaret, retraheret illos à noxis. Sic enim perſuaſum habete: quidquid afferret in publicum diſertiſſimus Præſul; aurum erat. Equidem ſic diſpenſabat facundiam, ut fulminum officinam ſub pectore, dum vitia caſtigabat; hymettum ſub lingua, dum pietatis perſuaderet ſtudia, habere crederetur. Nimirum vehemens ingenio, objurgatione fulmineus, & vibrata punctim Oratione graviſſimè vulnerans, detonabat; quoties terrarum ſcelus, aut acri ſtylo, aut valido dicendi impetu, ulciſcendum foret: mellitæ dictionis artifex erat, quoties virtutem, quæ ſcelere innutritis perinde atq; toxicum, acerba eſt; cæleſti nectare, Divinisq; ambroſiis condiret. Attamen aureus utrobiq;. Tonabat? ſed nè abſq; cultu acer eſſet; aureum volitabat fulmen, quali Jupiter in Capitolio armabatur. Poterant tigrides leniri, ſi Eudoxiæ juxtà, ac tigridi-

bus ferum ingenium fuisset. An enim tetiqua Hircaniæ, an Armeniæ nemora, tam sævam rabiem gignunt; ùt est muliebris impotentia, quam felicitas, arrogantia, habendi libido efferavit? Blandiebatur sanctissima lenociniorum voluptate? non illum inanis verborum cura fatigavit, non est modulatus in morem cicadæ, quæ Eunomii citharam insedisse creditur, ut adstreperet proludenti; nec instar exigui fluminis, quod per saxa devolutum crepitat, admurmurabat. Leniter, & quasi torrens impetus Pactoli aurum vehentis, profluebat. Proinde non potuit cuiquam displicere solus, quin simul pretia virtutis displicerent. Neq; tamen sensus altissimos, ita recondebat, ut solent opes, avidi, apud quos * *nullus argenti color est, nec auri.* Spolia terrarum, concharum exuviæ, fluunt ad ærarium uno, & perpetuo fonte; sed congesta damnantur æternis noctibus; dum cistis, tanquam carcere, vel tumulo premuntur: quasi ideo beatos fortuna voluerit, ut terris abderetur, quod terra peperit in usus. Talem reputo suadam verba quærentium, quibus nemo sapit, si intelligitur, quin tantò melior dicendo judicatur, quantò percipitur minùs: ea tandem e Palladis ærario depromi, quæ interprete

* *Horatius.*

egeant, aut cùm ægre percepisti, graruleris ingenio, velut inveneris arcana sapientiæ monumenta, aut intactos Cælo thesauros. Chrysostomus & doctis probabilis, & planus imperitis. Perinde illi clara Oratio, atq; mens; hinc cùm oraret, nemo oriundum, è Cimmeria, vel ad lunam elaboratum ingenium dixit: à Patre luminum descendisse, omnes. Balbutire interdum cum populo, pulcherrimum ducebat, quòd censeret, neminem verè sapientem, qui non omnibus sapiens fuerit. Si autem scelus ingeniosum subtiliùs delinqueret, liberetq; sapienter perire; tunc quasi fulmen ex alto ruebat, arguendi vehementiâ, & subtilitate feriendi. Didicerat enim sapientiam promi ut obryzum, quod non Regum duntaxat, vel divitum oculis aspectabile natura fecit, sed ab egenis quoq; conspicitur; atq; velut in plagis usuvenit, in quibus major auri copia, quàm alterius metalli gignitur, ut aurum in aratra, in ligones, in obviam alioqui supellectilem refigatur: pariter Joannes popularem fecit eloquentiam, postquam intimè perspexit, cælum vulgare esse, pariterq; plebi, ac Principibus Regiam Divûm patere. Cæterùm vix unquam præstabilior, quam ubi suæ copiam suadæ non minùs Cæsarum aulis, aut eruditorum coronæ, quàm

vulgo exhiberet. Ingentia hæc! at mihi pretia IOANNIS reputanti, tunc maximè ore aureus videtur extitiſſe, cùm venalem facundiam non propoſuit. * Videas non unum, qui fruſto panis (ajebat Cato) conduci poteſt, ut vel taceat, vel ut loquatur. O vile inſtitorum genus, non Oratorum! plumbeam verè dictionem, quæ ſeſtertio, vel quadrante venit! CHRYSOSTOMO quia aureum os, & verba; ſola cùm tacendi, tum loquendi cauſa DEVS, virtusq; : aliàs nec minis Auguſtorum, nec gratiis perdidit vocem: quód Apoſtolum ageret, non leguleium. Contumeliæ genus arbitrabatur, placere peſſimis; majus è contrario decus, habere iratos Principes malos, quàm propitios. Si oderunt pravi, innocentiæ: ſi iidem faveant, dubiæ mentis eſt argumentum. Pariter velim nemo effingat animo os IOANNIS, quale Pompeii ſimulacrum in triumpho prætulit. † Ex adamantibus, pyropis, ſapphiris, carbunculis, gemmisq; tam ſumptuosè, & ſcitè effingebatur, ut inter opes, & opus dubia penderent judicia, de pretio gemmarum, & artis nobilitate. Quid enim? Regio honore grata, majeſtas vultûs, impendii prodigalitate ſe corrupit, dum victor luxu veriore, quàm triumpho pre-

* *Gellius in noctib. Atticis.* † *Plinius.*

pretiosus videri ambiret. fœdissimum erat faciem lapidibus durari; molliri animum paratu muliebri; Antistiti Magno pretia de virtute provenere, deq; contemptu rerum, quibus inhiat avaritia. Quamobrem oraculum erat mundi, cùm Antiochiæ, ac deinceps Constantinopoli ad clavum sederet. omnia namq; sæcula, & populos omnes docuit, unam quamvis, alteramve Vrbem cælestibus doctrinis, & quidem paucos intra annos imbueret. Iam silet aureum Os, sed suo pro Antistite paginæ perorant, & adhuc disertus est in monumentis, quibus implevit bibliothecas. Eò sapientia Divus Antistes profecerat, ut si pietas virum non ornasset, neq; pretia dimanâssent à gratiis, aureæ mentis dici potuerit: sed cùm saniore consilio vitam instrueret, ita secum agitabat: Plumbea est, vilis est eruditio, „ atq; vix istud vocabulum meretur, nisi „ trahat in consilia virtutem, quæ sola men- „ tes inaurat. Egregius enimvero effor- „ mator morum, qui nihilo melior sit, quàm „ quos efformat. Neq; diuturna hortatione stimulandus erat, aut tamdiu formandus in meliora, quamdiu terra in montibus Arabiæ, vel Indiæ eget sole, ut posita naturâ degeneret in obryzum. Vix ardor cælestis animum perussit, Divino æstu vix incaluit

pe-

pectus, se monitorem sibimet vix adscivit. Aureus erat. Quorum eremus conscia est, quod Antiochia, vel Bizantium, demum exilii squalor spectavit, & quibus fasti intumuere, pretiosissimum probant. Sed plures sibi laudes agendo scripsit IOANNES, quàm ullus vel comminisci valeat. Vtinam pauciora egisses Sanctissime Antistes, non onerasses fidem posterorum! Cæterùm prædicabimus Tuum esse, quidquid summum videbitur.

Ita caput, atq; adorandum os, animus præterea ex auro coaluerat: sed neq; manus ferreæ. Hoc quoq; tam pretiosum est, quàm rarum. An enim pauci eloquio, tanquam Hermo, vel Tago se diffundunt? iidem si largiendi necessitas provocet liberalitatem, arent, aut certè languenti scaturigine effert se munificentia. Multos quoq; reperias, qui precationes fundant, non opes: Superis pia mente occurrant; succurrere projectæ sorti detrectent; quasi verò non iniqua lance tunc se pietas libret cum impietate, quando amantur Superi, infimi negliguntur. CHRYSOSTOMUS venas auri in manibus habuisse videbatur; at non stagnantes, aut quomodo in feracissimis metallorum cavernis torpent divitiæ, nec juris publici sunt; nisi evisceretur tel-

lus,

lus, opum excutiantur latebræ, ærrugiæ spolientur. Nam Præsulei census, publicæ calamitatis ærarium, ac veluti Saturni ædes dici poterant. Ideo tantùm locuples esse voluit, nè ullus miser esset. Quare Pontificios thesauros optimè appellâsses, subsidia calamitatum; cùm tantundem haberent inopes, quantum IOANNES: imò cùm se omnibus spoliaret munificentissimus Antistes, ne omnia deessent inopibus. Præsuleum hoc duntaxat dici potuerat, quod in egestatis præsidium erogaretur. An ergo Virum hunc in omnibus Aureum non jure nuncupem? mirum tamen est, quòd avaris, ambitiosis, trossulisq; placere non potuit. Quàm rapidus humanorum vitiorum torrens exundaverat; ut nobilissimum quęq; fundo alvei rotatum raperet in exitium! Quantò quis ampliùs nobilitate floreret, tantò magis ad scelera jus sibi arrogabat. Nec libebat esse vulgariter scelestos: piaculis, æquè, ac opibus, aut natalium sorte, supra vulgum licentia consurgebat. Tantùm perire inter ludos, atq; præstigia fortunæ placebat. Didicerat autem Antistes, nemini plus licere ad delicta; & felicitatem nō esse auctoramenta scelerum, sed illicia. Igitur mærore animus consumi, pectus angoribus coqui, lacrymæ perorare ad Superos!

ros!

ros: cessarent delicta, aut illecebræ delinquendi. Attamen securè peccabatur, cùm prosperitas, muri instar ahenei fortunata crimina tutaretur. Alebat noxas perniciosa dissimulatio, cùm fulmina jacerentur in vulgi piacula; tanquam hi duntaxat cùm delinquere, tum perire possent: tacerentur magnifica delicta, quasi facultates opum, essent facultas peccandi. CHRYSOSTOMO nullum, etsi in purpura nutriretur, speciosum crimen visum est. Nulli ergo fortunæ pepercit, dum ea sibi, insontibus, DEOq; non parceret. Sacros impetus eloquentiæ vultis experiri? Eudoxiam objicio. At ô DEVS! quam Eudoxiam! equidem titulis, ac imaginibus Augustam, sed avaritiâ flagrantem, arrogantiâ tumidam, felicitate efferatam. Congerebantur in fiscum spolia Provinciarum, pauperum exuviæ, pupillorum bona; interim purpurata bellua inter lances, & momenta rapinarum stabat pallens; cumq; vi, & imperiis multa expresserat, plura extorquebat, nemini sua calamitas, nemini orbitas in patrocinium ibat. Impotentia muliebris, tum cupido, titulus erant exigendi. Itaq; lugere plurimi, formidare omnes, pauci ad vindictam armari. At IOANNES, ut hic quoq; Aureum se probaret, robur invictum, ad poten-

tentiam tantam, quasi ad Lydium lapidem ,,
exploravit. Ajebat enim: Conticescerem Augusta, si mea causa vocem deposceret; sed cùm lacrymæ miserorum petorent, & publici gemitus ab Imperatorio provocent ad Divinum tribunal; DEI negotium verti opinor. Nemo miseros lacessivit, quin eodem impetu cælos oppugnaret. Itaq; cùm dolor vires exerit suas, da veniam; justus est. Si tacerē, iniquitati silentium annumeraretur. Publicum est Eudoxia, tuas onerari gazas simul tributis, simul lacrymis. Nec dum pristinum vectigal persolutum est; decernitur aliud, ut novis indictionibus pressa calamitas, ad vetera tributa deficiat. Nihil de vobis tacet fama Principes, quamvis erepti thesauri lateant. Honores, nè puta excubitores noxarum: proditores sunt. Iure actum dictitatur; dederunt nomina, obærati sunt. Superi! * *minuuntur jura, quoties gliscit potentia*! At nec jure vindicatur, quidquid exigit potentia: † *non est utendum imperio, ubi legibus agi potest*. Adde, quòd Principes largiri deceat, non auferre. Tantundem habes, quantum populi: cùm Principum sit,

* *Tacitus Lib: 3. Annal.*
† *Tacitus ibidem.*

" sit. quidquid privati possident. Demum
" formida Imperatrix, ne in cujus ex m-
" pla vineam usurpando, transiisti, ejus cum
" (absit verbis omen) incurras parem.

Persuaserat omnia IOANNES, nisi Eudoxiæ suasisset. Quæ enim apud avaros, & arrogantes pretia veri? Perduellis est, quisquis non lenocinatur. Vt corruptæ assentationibus favorem aulæ merearis, eversos mores, & monstra flagitiorum consecra, aut tace. Quamobrem statuitur: excederet Constantinopoli Præsul, adiret exilium, idest veritatis patriam, & veridicorum: tam procul abesset ab Imperatorio latere, quàm procul æquitas ab animo Augustæ aberat. Dum IOANNES in vulgaria detonaret flagitia, tonitru hoc moll es palatii aures non asperavit; dum nata in augustali monstra, nullius, etiam magnifici, etiam purpurei criminis palpo, castigat, domitor monstrorum, & plusquam * *Herculei monstri loco jam cæpit esse*, monstri inquam haud tolerandi. Atrocitas decreti nec animum CHRYSOSTOMI, nec vultum mutavit. Nihil sensum mæror hebetavit, neq; firmitas viri in cursu malorum enervata est: quin imo erecta supra omnem fortunam magnanimitas, majus regno judicabat exterminari è regno, Cæsareas opes, & favorem au-

* *Seneca in Hercule.*

læ posse contemnere: contrà, contaminari sanctitatem, si floreret judicio, vel gratiis eorum, quos sanctitati infestos esse didicerat. Vt autem Præsul indueret magni viri animum, tota mente præcipiebat * *virtutis pulcherrimæ, ac magnificentissimæ speciem, quæ sudore, & sanguine colenda est.* Obversabantur Majorum exempla, qui religionem extulerunt in fastigium recta agendi, & mala tolerandi contumaciâ. Fortè & Demetrius ille provocabat ausum, *qui vitam securam, & sine ullis fortunæ incursionibus mare mortuum* vocabat. Fortè & illud vastiori pectore, ac voce, quàm Attalus Stoicus proclamavit: *malo me fortuna in castris suis, quàm in deliciis habeat. Torqueor; sed fortiter: bene est. Occidor; sed fortiter: bene est.* Itaq; honestæ rei, ac severæ, nunquam molle nomen imposuit, cùm non crederet virtutem esse, quæ flueret voluptate, vel ageret pacis otia. Ivit in exilium; sed eà constantià mentis, ea frontis serenitate, quâ ceteri ab exilio redirent. Nimirum omnia secum tulit, cùm Chrysostomum ferret. Iactabatur per inhospita, & aspera viarum: sed patria fuit, quòcunque illaberetur, ut constaret aure-

* *Seneca epist;* 67.

um esse. Quippe aurum quocunque sub cælo est, nec colorem amittit, nec nomen. Ad pretia servatur etiam tunc, cùm in cavernis, vel cæco in carcere delitescit, aut sub malleo gemit: & Chrysostomus, licèt ex altiore fastigio in privatum, ex publico, & spatioso jure, in angustias vinculorum, in sqalorem carceris subduceretur, licèt arcto circumdaretur fine paupertatis, exilii, orbitatis, non tamen minor fuit. Latiùs modò in populos, atque ætates dimissa magni nominis notitia funditur, quàm olim exterminantium potestas. Æternum est probrum, fortè & pæna innocentiam afflixisse, decus immortale, integritatem supplicia reorum subiisse. Iteratas exterminii vices, & inter has Præsulearum prodigia virtutum non memoro, at neque pretiosissimam mortem. Satis est dixisse: IOANNES totus aureus.

DIXI.

Index Rerum Partis Primæ.

A

Crude-

F.

G.

H.

I.

I.

L.

M.

Spolia

Ad M. D. G. B. V. H.
SS. O. venerationem

FINIS

PARS SECUN-DA

❧)(✠)(❧

Orationum Syllabus
PARTIS SECVNDÆ.

IX.

ORATIO PRIMA:
MERITA S. IGNATII de Lojola, Fundatoris Soc: JESU.
de Universo terrarum Orbe.

NOn vereor, Auditores, nê in laudibus Magni LOJOLÆ, aut nimius videar, aut parcus; cùm ab altero, IGNATII magnitudo, tenuitas Oratoris ab altero, vestra ab utroq; benevolentia metum absolvat. Illius enim nomen, actaq; celebro, qui meretur altiora, dum ingentia promulgavimus, & postquam maximorum narratione sudavit industria, adhuc infra meritum serpit laudatio. Quæ cùm ita se habeant, tantùm abest, ut mihi gratuler de tenuitate. Nam, si amplissima protulero, cogitabitis (quod vestra in IGNATIUM studia pollicentur) IGNATIUS laudatur; IGNATIUS ille, cujus beneficia tam ampla sunt, quàm totus hic terrarum orbis. De omni meritus est populo, & in ætates proferet obsequia. Potest tenuiter laudari; non potest satìs. Rursus, dum exili ingenio, suus labor consentiet, imputabitis IGNATIANÆ magnitudini, & intra gloriam

ſtabit fortunâ ruditaris. Itaq; pando vela, & tenuem carinam pelago vaſtiſſimo committo. Tu interim Auditor Magne (nam iſte mihi Favonius erit) fave, dum ego, ignoti & nominis, & vultûs populos, provincias, terrasq; perluſtrabo, ut IGNATII merita de toto Orbe, deq; univerſo mortalium genere inveſtigem, ac deinde recenſeam.

Minimè laborat veritas, ſi IGNATIUM omnium terrarum municipem appello; quia in omnes ſuam deduxit coloniam, ut omnibus opem ferret. Cum aſtris diſperſit manus usq; adeò, ut non liceat ſoli plures populos aſpicere, quàm IGNATIO. Quid verò causæ eſt, ut non à Patria tantùm, cœloq; Europæo, vel ipſemet IGNATIUS ſe proveheret aliquando, vel continuò ſuam Oceano, fluctibus, ventis, & mille mortibus crederet familiam? quid cauſæ eſt? Vt regna invaderentur? at non vehebantur bella pelago, terrisq;, non cohortes ferro, ac ſupercilio horridæ, non ſigna militaria deducebantur. Solâ innocentiâ munitos, & virtutum ſatellitio inſtructos exercitus Dux noſter oppoſuit. Ergo ut divitis Indiæ gazas, auri pondera, gemmarum fulgores, cæteraq; ſpolia telluris eviſceratæ, aut fluctuum in Patriam reveheret? Equidem orbis

ille

ille non telluris modò visceribus abstrusas, aut profundo pelagi demersas opes tenet, sed aurum vilissima ibi rerum pars, ipsa terrarum superficie, & micantibus glebis radiat, aut montium cacuminibus, quasi rude saxum enascitur, aut fluviorum elapsu flaventes arenæ præcipitantur, ut in nostrum orbem pretiosa tempestas despumet irritamenta malorum, & inops seculum locupletet. Verùm paternarum & ipse fortunarum contemptor, & ejus legio solâ dives inopiâ generoso pede proterebat, quidquid divitiarum nomine censetur. Non proteretet? atqui aurum terra est pallida; & gemmis pretia ab habendi cupiditate profluxêre. Eccur deinde argenti glebas, auri pondera intra terras natura abscondit? certè ut pateret, quàm vilia sint, pro quibus sudatur, & omnia violantur jura. Ibat ergo per regna XAVERIUS, cæteraq; ingentia nomina, dignæ, Lojolâ Duce, animæ, ut ignoto sole exustas gentes cognoscerent, populorum mores, vitasq; discerent? parum intererat hæc nôsse: inquietæ mentis est istud, animiq; non secus vagi, ac ipsimet sunt pedes. Si ab orbe lustrato non melior rediisti, tantundem lucraris, quantum volucres, quibus à nido natali peregre libet avolare. Cur tandem? ait non nemo

ex iis, qui & curiosè rimantur consilia, & temere, aut perversè explicant, quæ somniârunt. ajebat (inquam) viros Lojolanæ gentis non unius tecti incolas, quasi domiportas vivere, * sed *omnibus* populis nomina permiscere, *ut duo maximè incredibili studio percolant, vim Pontificû Romani, & opes Hispaniæ.* Equidem Pontificum robur sua Majestas, & præsens Numen tutatur, sed intra gloriam reposuimus hoc nomine censeri, quod maligna crisis veluti probrum affinxit. Pontificia sumus legio, Papalia castra, hoc ab imperio, nutuq; pendere, juratis obsequiis plùs quàm omnes titulos, & manantia de titulis vectigalia reputamus. Quidquid incorrupti dogmatis est, ac etiam DEVM ipsummet defendere videmur nobis, cùm pro ista potestate contigerit militare; contingit autem frequentissimè. Hæc IGNATIUM ad ingentia stimulavit, hæc misit XAVERIUM propè ultra cunabula diei nascentis, hæc etiamnum per ingentia pelagi discrimina in remotissima Sinarum regna plerosq; trajicit, hæc Brasilis tam corpore, quàm mente nudis permiscet, hæc in regnum Peru, cæterasq; gentes suo cælo, terrisq; crassiores, per terram, & pelagos ducit. Absit autem ut pro opibus certetur

Hi-

* *Hugo Grotius hist: l. 3.*

Hispanis, pro potentia Regum, pro fortuna Principum. Agant illi, quibus ferrum est, & in hoc omnia. Scrutentur imperia, terram pervadant, & eviscerent, ut quas natura vias negavit, faciant. Edoment pelagum, fluidoq; elemento solidum iter arripiant, penetrent se alium in orbem, ferro jus omne confundant, cruore polluant universa, ut redeant ditiores, & fiscos dominorum saburrent. Quid tandem Lojolæ industriam sparsit per omnia? credite, IGNATIUM ùt universo natum esse, ita saluti omnium vixisse. Ea virum circumstabat sollicitudo, nè quis non DEO viveret. Huc itaq; omne studium contulit, ut formaret omnes ad studia pietatis; hic unicus curarum æstus, nè non tam amplè notitia DEI dimanaret, quàm ipsemet DEVS, ad hoc cunctis indulgentiæ, severitatisq; consiliis usa est industria non languens inter aspera, & retundentia conatum vincebat, ut mundum traheret in amorem cæli, in cultum Numinis. Paucos etiam Sodales, quia magno spiritu imbuit, in omnes terrarum plagas sparsit, at omnibus sufficturos. Miramini XAVERIUM? IGNATIUM spirabat, quia de pectore illius concepit vastos spiritus, ut orbem afflaret. Attollitis Lainium, Salmeronem, Fabrum, ac deinde Bor-

Borgiam, cætera quoq; nomina? Si numerum spectes, exiguus hic initio; si virtutem? populus. Vnusquisq; Apostolum intra pectus ferebat: quia unusquisq; IGNATIUM. Quantumcunq; verò IESVITICI sudoris, aut sanguinis orbe universo manavit, totum in sui Ducis gloriam redundat. Quidquid trophæorum per populos, quibus invexit se minima Societas, constituitur, Ignatianum est trophæum. Quò abripior? quasi verò de toto orbe merita maximi Patris satìs recensuerim, aut ipse sibi ad decus non sufficiat. Revoco stylum, atq; hàc orationem deduco, quà ille gloriam DEI majorem. Hìc vulgus ineruditum inter stultitiæ noctes, quasi Cymmerio sub sole educata gens, vitam non tam agebat, quàm perdebat; cùm rarissimas regna scholas aperiebant, aut in istis decrepita eruditio sic languebat, ut exanimis, & emorienti similior, solum prope sapientiæ nomen retineret. Alibi vivaces quidem, floridæq; Musæ, nihil senii, quo etiam literæ fatiscunt, admiserant; sed numerosis juvenum concionibus scholæ, scholis Magistri non sufficiebant. Vt alia mittam imperia, Polonia tantùm Cracoviæ sapiebat; sed genti per tot Provincias diffusæ Vniversitas ista, etsi amplissima, doctissimaq; num satis
fu-

fuiſſet ? ergo peregrinæ placebant Muſæ: ibatur in Germaniam, viſebatur Gallia, navigio petebatur Hollandia, quaſi merces pretioſæ per regna exterorum Sapientia quærebatur. Quid tandem? remeabant Poloni doctiores quidem, ſed pejores. Vt doctrinam virus illud, peſtisq; ingeniorum Hæreſis afflaverat, ita probitatem. Nunquam ſola religio profligatur: corrupta fide, facilè mores evertuntur. Intimum eſt fœdus Hæreſeon, & criminum. At IGNATIUS (per fidem!) quo animo, quantis viribus has etiam peſtes, & contagia ſalutis aggreſſus eſt, eruditos gymnaſiis magiſtros offerendo? Quà ſe vaſtiſſimè diffundit tellus, etiam quà pelago natant Provinciæ, LOJOLA pene ubiq; Athenas condidit; quaſi non liceret cuiquam ex illis, quos meliore animo natura afflavit, eſſe rudi poſt IGNATII tempora. Sapiunt ergo regna, dum curiis formantur Tullii, aris Chryſoſtomos damus. Neq; per rivulos tantùm exili ſcaturigine prorepſit ſcientia: tam profundè, & tam vaſtè illico, conſtanterq; manavit, ut ſi quis Academias, & Lycæa noſtra, quæ majorem orbis terrarum partem erudiunt, revocet ad calculum, immenſum quendam ſapientiæ meritò dicat Oceanum. Neq; in primis ſolùm tirociniis,

tanquam in vadis hæſit eruditio: nullus tot vela portus in pelagum dimiſit, quot ingenia, hinc in altum omnium facultatum, & ſapientiæ procurrerunt. Nata hic eruditio potuit bibliothecas implere, & (ſi jactanter, ſublatèq; Divorum laudes celebrare fas eſſet) dicerem: eò faſtigii ſubvecta eſt, ut invidiâ digna eſſet. Meruit enim, ut eam livor inquieto oculo ſuſpiceret, roderet maligno dente. Si quodpiam fatum raperet monumenta, quæ doctior antiquitas ad noſtra ſecula transmiſit, omnis viveret eruditio in ſcholis IGNATII. Nam præter ſcientiarum præludia, & primam ingenii velitationem Muſæ verecundo ore ſanctiùs loquerentur, atq; pro uno Tullio, ac Demoſthene innumeri perorarent. Nec Stoa, nec Academus navigio petenda eſſent. didicerunt noſtra ſecula, quæ Plato, vel Ariſtoteles ignoravit. Quid Divina ſcientia? quantos hæc de priſcorum erroribus agit triumphos? Olim ſacrilega ſuperſtitio tantam ſibi effinxit turbam Deorum, * *ut major cælitûm populus, quàm hominum foret.* Sed dum innumeri quæruntur Dii, verùm, qui numeros excludit, DEVM ratio non deprehendit. Nunc quàm divinè ſentitur de DEO? Admiranda hæc quid mirer! ad origi-

* *Plin: lib: 2. Cap: 2.*

riginis exempla formatur posteritas, & radicis natura in traduces propagatur. Atqui Sanctissimus Author, Parensq; noster, & ejus primi Comites, ex illo Sapientiæ Fonte, scientiarum Nido, Musarum natali Fundo, Academia Parisiensi enatârunt: sed Doctorum laureâ, tituloq; insigniti. Nec nomen istud arrogantiæ vexillum erat, dum constaret, neminem vocari Doctorem absq; doctrina. Quàm luculenter id Academiæ, & mundi oracula Summi Pontifices comprobârunt, cùm nostros homines conciliis admoverent, Regnis, & Regibus offerrent, per varias mundi Academias, quasi soles quosdam spargerent? Non soli gloriam hanc Parenti nostro arrogo: sanctitas non superbis sese alis evehit. Ante IGNATII tempora, nunc quoq; habent Musæ regiam tot in Academiis; inhabitat religiosas ædes sapientia; sed humana alibi tantùm, alibi Divina. LOJOLA geminam esse voluit, cùm divinos homines formaret. Vnus ergo, ne quid deesset literarum, docuit orbem, & veteres doctrinas, & dogmata Christiana; ut divinus Plato ampliùs non erraret circa DEVM, Aristoteles verò etiam supra naturam ingenio consurgeret. Exiguum erat, literas aut animo velut penu condidisse, aut aliis communicasse; cùm scelestissimi etiam

ſapiant, ut ingenioſiſſimè ſint nequam, veluti nefas foret ruere ad inferos, nisi cum privilegio ſapientiæ: nec pauci cathedras occupent tanquam innocentiæ ſpoliaria, aut latebras, ubi calliditas ſtruat inſidias auribus, & quia per has invaditur animus, graſſetur in bonas mentes pernicies doctrinæ. Quidam vitia, virtutis, errores, veritatis pallâ inveſtiunt, ut animos juvenum ad magna ſurgentes, velut peſtilenti quodam ſidere afflent, namq; pendentibus ab ore ſuo, tradunt ſcientias, & mores ſuos, utiq; venenatos; vitia reprehendunt, & ſectantur: quinimo docent faciendo. Quis furor? modico torrente inſtillare eruditionem, & totos ſucorum pelagos affundere: ubi charybdes lateant, atq; in his mille naufragia mentium rectarum? Multos in medium protulit ingenii vigor, ſcriptorum elegantia, neq; crimina obſcurârunt; ſed ſidem ſufficere putant ad decus magiſterii, ſi eruditos, quamvis non perinde probos dimittant è gymnaſiis; quaſi verò palæſtræ non utriusq; ſint vena. IGNATIUS putabat literas ſine pietate malè ediſci. igitur ludos literarios, virtutum ſeminaria volebat eſſe. Excluſit hinc Doctores literarum, * qui *Curios ſimulant, & bacchanalia vivunt*, pariter eos,

qui

* Iuvenalis

qui ad ſuperbam gloriam Philoſophorum nomen induerunt, nec venalem eruditionem, aut linguam in quæſtu eſſe voluit, qui poſt fortunarum, & altioris ſpei jacturam, ſe, ſuosq; in mundi commoda expendit. Satis præmii fore ducebat, ſi literæ cum pietate colerentur. Sic ille vitiatus pede, nunquam impegit in vitia, ſed neq; potuit celpitare. Nova ergo, ſed Sanctior, pro illa veteri, Pallas enata eſt. Credo ego Auditores viva hujusce veritatis ſimulacra, dum Romæ Templum Ludoviſius ad honorem Ignatii moliretur, in ſolido ſatuiſſe. Fodiebatur tellus, ecce in fundamentis aquæ ductus arcuati è marmore, cum tubulis plumbeis, qui Pantheon, versùs excurrebant: ecce ſine capite coloſſus Minervæ. Caſibus his nihil fortuitum; quia truncata Pallas, caput, quod pluribus ſcientiis, an ſuperſtitionibus refertum eſſet, dubito, ideo præciſum demonſtrabat, ut doctius, ſanctiusq; Ignatius applicaret. Pöetæ credimus? tam verè, quàm acutè luſit:

* *Eſſe Iovis cerebro genitam, quid Palladi prodeſt?*
Perdit ab Hiſpano viſa Minerva caput.

Iam aquæ ductus in Pantheum promiſſi,

* *Andreas Marianus in ruinis Romæ, lib. 2. epigr. 131.*

si, si interpretem vultis, denotabant, eam ex IGNATII scholis fluere sapientiam, quæ & capita sciendi avida irrigaret, & toto, in DEI, Divorumq; cultus alveo manaret. Non hic tenuit se Magni Parentis amor: in publicum, Hydaspe, nec non Pactolo, effusius decurrit. Projectæ in scelera animæ non tam vivere, quàm sese flagitiis conficere videbantur: hæresis sine capite, sine gloria, absq; probitatis sensu, truncata, infamis, excors, tollebat se ultra caput, cujus arbitrio totum parere mundum, voluit mundi Parens, ultra Patrum dogmata, ultra quidquid Sanctum, summumq; est: instar Numinis illi pervicax arbitrium, pro ratione protervia rebellis, sacer Senatus, duritia immanis, concilium, animus pereundi. Ecce bellica indoles Divi Parentis (nec enim abjecit Martem, sed in sanctiorem mutavit) se intra pectus magnanimum sensit, ad sūma, in quæ natus erat stimulavit: bellum gereret Vir bellicus, ut virtus, ut veritas, ut DEVS triumpharet. Sed quia cælum priùs oppugnandum est, quisquis parat Numinis oppugnare hostes; cœlum votis, superos suspiriis aggressus est. Fundebat lacrymas, ut impietas funderetur. Mox ingenio pugnaci, &, quod validius est tormentum ad subigendos animos, intamina-

tis

tìs moribus, tanquam inexſuperabilibus caſtris certavit, ut profligaret. Alio quoq; in orbe jacentes populi magis ignorantiâ veri Numinis, quàm ſuis noctibus caligabãt, nigriores à noxis, quã à ſole: ille, ut nigerrimas mentes cæleſti imbueret candore, plenos alto ſpiritu viros veluti ſoles novos, remotiſſimas in oras trajecit, qui dum totum ſpirarent IGNATIUM, tantùm univerſi agere poterant pro DEO, quantùm ipſemet egiſſet IGNATIUS. Itaq; defixus Romæ toto in orbe ſudabat, ubiq; præſens Numen, ipſius aderat, agebat, reparabat mundum. Divinum eſt iſtud: omnia complere, agere ubiq;. Aulis etiam, & caſtris ſuorum permiſcuit nomina, ut aulas redderet ſanctiores, doceretq; perinde contra vitia dimicandum eſſe militi, atq; contra hoſtes; colenda & ferrum, & pietatem. Et certè in aulis aulicos non induimus: in caſtris verò flagitia bellantium profligantur. Crudus mucro armet latera eorum, quibus letifera hæc ſæviendi voluptas placet. Pietas inermis emicat contra piacula. Nec palatiorum fumus, nec bellici pulveres ita religioſum implent oculum, ut tolli ad aſtra nequeat, vel inter blanditias mundi non ſatiari ſancta voluptate. Poteſt mens integra nôſſe vitia, non poteſt ſequi; poſtquam

ob-

obstinata probitas indixit sibi virtutum necessitatem. Constat sibi integritas ubiq; & animo ultra humana surgit, ut se ingerat cælo. Pulchrum enimvero est medios versari inter tristem arrogantiam, & fædum obsequium; vitia nec fugere, nec sequi. nimirum delibatur aulicum jus, non sorbetur. Nec in delibato hauritur Lethe, ac oblivio jurium, quæ legislator DEVS, quæ Auctor instituti in morum regulam, vitæq; ideam proposuit. Ex IGNATII præscripto vivitur, non è Tacito, non è Lucano. At nec istos nôsse, promere, aures talium avidas imbuere, profanum duximus. Sunt qui pietatem tantùm à cælo derivant: IGNATIANI Spiritûs est undiq; fomenta virtutum corradere, corrasa ministrare, & bonos in succos omnem herbam convertere. Imitamur populum DEI: aurum is Ægypto rapuit, Deorum etiam simulacra; sed non ut coleret. hinc arma militi, hinc stipédia, hinc ut suis opibus impietas jugularetur, cõflatiq; Dii in nervũ belli suos cultores enervarent. Novimus præterea palati, & palatii vitia: ad cõdiméta meliorũ, viliores esurit, sititq; succos. Et piper sola amaritudine placet, ob quã ad Indos navigatur. Puerile est utiq; ingeniũ mortalib⁹ ad virtutes; potest crepundiis, & munerũ levitate illici, trahi, formari. Quocir-

circa & ipſi perinde manibus, ac memoriâ circumferimus priſcorũ delicias Poëtarum, Oratorum flores, Hiſtoricorum faſtos, Philoſophorũ monuméta; & aliis inde eruditioné inſtillamus. Diſcant hinc Deorum, Dearũq; nomina, ſimultates, jurgia, noctes inceſtas, & quæ ſceleratis vix hominibus tribuantur, ut criminoſas rideant divinitates: cognoſcant ficta eorum vitia, ut veras diſcant virtutes.

A bellorum tumultibus, ab aularum ſplendore, provexit induſtriam IGNATIUS ad infelicium noctes, ut eas expungeret, vel expugnaret. Et quidem prior hìc, potiorq; cura deſudavit. Erant, quos calamitas ſic oppreſſerat, ut in profundo adverſitatum jacerent. Coquebat animos ſolicitudo, inedia corpus conſumebat; mæſtitia cor depaſcebatur; unicum contra infortunia telum erant lacrymæ. cùmq; nihil liceret, ſola dolendi copia in facultatibus exſtabat. Nimirum ſuis ſe lacrymis oblectat infelicitas; quaſi ultura infortunium, ſi poſſit ingemiſcere. His etiam IGNATIUS fortuna fuit; niſì quòd iſta cæca ſit, ille oculatiſſimus. Quis tunc non objeciſſet fortunæ?

* *Nullum numen habes, ſi ſit prudentia: nos Te Nos facimus Fortuna Deam, cæloq; locamus.*

Parens noſter curas divinitatis verè ſibi vendicavit, factus calamitatum ara, Numen

* *Iuvenalis Sat. 10, à Vers: 366.* mi-

miserorum, infortunii felicitas. Auget gloriam, quòd beneficia conferre, non perdere placeret. Eo scilicet modo largiebatur gratias, & obsequia, quo industrius colonus spargit sementem: præterquam quòd iste ex impendiis messes, quasi gratitudinem agrorum exspectet; IGNATIUS solam DEI gloriam. Hæc illi duntaxat usura; hic proventus, & præmium laboris. Adeò vastè sparserat se industria, ut faciliùs reperisses angulum terræ, quò Sol radiis, quàm quò IGNATIUS impetu beneficiorum non immigrâsset. Restabant animæ, quas intactus pudor, non opes locupletabant. At quantò plures fuerant, quibus * *persuasit egestas vile nefas?* cùm nullibi ferè tam infames naufragiis scopuli insidientur, quàm ubi inops pudicitia mæret. Per vicos, & compita, per secreta propudiorum receptacula, agere lupas, una plerumq; fuit ratio, quòd silvesceret inopia rerum, ac ideo amissis fortunis castimoniæ decus amitteretur. Quæ solicitudo animum LOJOLÆ versavit; ne multiplicatis ærumnarum casibus, hæc quoq; dedecora latiùs inundarent. Ergo divitum aures pulsavit, & animos. Hinc non tenues proventus, hinc dos opima, hinc prostituti pudoris remedia, nec jam scelera in

quæ-

* *Luc: l. 1.*

quæstu. Quibus nuda, & pauper non placuit virtus, placuit cum censu. Mundiorem illico se Roma mirari cæpit, postquam præclusæ orci januæ, & propudiosa quondam gynæcea in sancta degenerârunt. Quàm rara Antiphila, vel Glycerium temporibus IGNATII visa est? successerunt Vestales, quæ æternam, sed jam sanctiorem, quàm olim, ignem sub pectoribus foverent. Sic pronum in omnia mala, & in luxuriam fluens seculum legibus sanctis còërcuit Magnus Parens. Ea proinde facies rerum subitò fuit, ut mutati homines, alia terra, cælum ipsum lætiùs, auctiusq; videretur.

Ne ampliùs exspatietur laudatio, strictim universa amplector. Sic per omnia se, suosq; diffudit IGNATIUS, quasi omnium populorum aut Pater esset, aut Tutor: ita latè per orbem terrarum merita circumtulit, ut quicunq; res ab illo utroq; in orbe gestas computare voluerit, totus terrarum orbis exquiri debeat; tot laboribus periculisq; jactatus est, ut, cùm alius Vrbi, vel Provinciæ, ille toti mundo & editus esse, & vixisse videatur. *Dixi.*

ORATIO SECVNDA.

Liberrimus in cælum, è terra aspectus.

S. IGNATII de LOIOLA, FUNDATORIS Soc: JESU.

SI alibi de magno Parente verba facerem, expediret procemia compingi, exordiis ludere, mille aucupiis, & lenociniis, tantùm non infascinari aures, animosq; audientium; nunc cùm in confessu hoc declamem, præcido blanditias, cincinnosq; suadæ. Illos enim fortuna Auditores mihi obtulit, quibus Divus Lojola, aut Parens est, aut Magister. vel certè addicta cælo pietas, illum sibi Tutelarem adscivit. Quocirca, sinè apparatu, absq; partitionum ordine, absq; ludentis blandimento artis, citra exordiendi præcepta, velut impetu quodam ruo, in elogium magni Lojolæ. Quid verò primùm? quid deinde? Distrahit rerum copia, pulchraq; virtutum contentio confundit artificia. Tantùm ergo abest, ut Tuarum Magne Parens virtutum accusem multitudinem, Faciam tamen, quod facere consueverunt, qui & navim, & vitam fluctibus permiserunt, Illis cæle-

stes

ftes excubiæ, id eſt aſtra prælucent innumera, ut ducatum præbeant: at operoſus nauta, veluti cælo, & omnibus ſideribus deberet minùs, ſummè obſervat Cynoſuram, Hæc illi totus eſt Senatus, hoc aſtro conſultore vela explicat, à portu ſolvit, & ſe pelago ventisq; credens, terras neſcit: ita dum ſe offert orationi par terris, ac cælo animus, quem Ignatius ſpiravit, atq; ita in totius mundi curas ſparſit, acſi univerſo viveret, aut Numen vicarium ad ſalutem generis humani excubaret: multa interim ſe ingerunt, ſtylum depoſcendo, aſſumo unum è plurimis; nimirum, placuit oſtendere liberrimum Ignatii proſpectum à terris, ad cælos. Reduc interea huc ô Ignati hos oculos, hunc animum, quem cælo, ac cæleſtibus affixeras, & ſuis laudibus fave, ut mihi contingat elogium, Te Magno Parente, magnoq; Auditore dignum, utq; ipſamet oratio, probet, & ſtylum, & filium non degenerem. Arduum eſſe poterat Ignatio, reducere à terris ad cælum & oculos & animum. Ingentes animæ dum ſe ex cunabulis, quæ abjecit inclementia fortunæ, ſentiunt non emerſiſſe, huc quaſi pondere nativo feruntur, ubi aulici fulgores emicant, Mars fulmineus crudo nitore fulgurat, honorum illuceſcit meridies, & lætioris for-

tunæ ridet indulgentia. Nihil magnum censetur esse, nisi quod excepit vulgi admiratio, quod plausus, quod garrula plaudentium assentatio celebravit. Si in theatris cantatur gloria, & laudes saltantur, quin etiam in omne ludibrium effeminatis vocibus, modis, gestibus frangantur, tum admirator sui subsultat animus, seq; cælitum choris interesse credit, dum leves populi acclamaverunt. Quod deterius putes: plebeia plerumq; censetur virtus, quæ tiaris non assurgit, gemmis non enitet, non scintillat auro, neq; supra colla hominum evectum attollit verticem, cristata pietas. Huc quoq; LOJOLA animum, & curas verterat, oculo indignum suo ratus, quidquid non titulis emineret. Honor acuebat cupiditatem, gloria, quam famæ volantis excipit susurrus, & tantillum prætervehitur aures populi, fatigabat virum ad dura belli negotia, ad lubricam aulæ fortunam, ad invidiosa Principum obsequia: cætera credebat ideo solùm à natura prodiisse, ut cotemneret. Cælum interim destinabat tela, quibus animum Heròis edomaret. Nec Vulcaniam movit, non vibravit fulmina: saxum tormento concussum est, ut IGNATIUS molliretur. Vt animus feriretur, tibia pedis sauciata. DEVS ubiq; metam habet.

habet, quando ad cor collineat: mentem reperit humanam, quòcunq; fundat jacula. Igitur terræ allisus est IGNATIUS; sed dum vulnere debilis langueret, animus convalescebat, tantusq; subito erat, ut posset fluxa contemnere. Vrebat ignis, & venas, & mentem. Nimirum animus concepit flammam è vitioso febrium calore, qui ussit IGNATIUM, adusq; virtutum incendia. Et tunc primùm cælos liberrimè aspexit LOJOLA, cùm oculis vix terram videre posset: tunc mentem sanctiores ad curas recepit, cùm maximè, languore urgeretur. Radium adjecit, solis Mater, & Princeps Apostolorum: è vitis quoq; Sanctorum, ad sanctiorem vitam, plurimum lucis affulsit. Si quis decumbẽtem ex ictu LOJOLAM penitiùs introspexisset, atq; consilii nuper ad superba respicientis, mobilitatem expendisset, tunc verò meliore spiritu afflatum, cælestia nonnisi spirare, nonne is rectè dixisset, non tormentum fuisse explosum in muros, & in IGNATIUM, sed ipsummet animum IGNATII pristinum, è pectore excussum. Ita volavit ad Superos! ita cælos, & oculo, & mente invasit! Ad quod, cælo hortatore, & casibus sanctiora edocentibus proficere videbatur. Cùm enim mutatæ initio vitæ, ardentiùs instaret pre-

 gati-

cationi, ecce trepidare terra, moveri, & concuti ædes; quasi phasellus procellis jactata, demum fenestræ elidi, tanquam de-
" hiscente solo moneretur: IGNATI, excu-
" tienda Tibi est ex corde terra, quæ sic
" mobilis est; reflectenda ad cælum & ob-
" tutus, & mens. En excussa sunt vitra,
" pervium en patet cælum. At erat intus, quæ validiùs persuaderet istud, gratia. Hinc se exarmavit ferro; ne crudo fulgore acies oculi abriperetur: ad hæc, ut meliorem vitum indueret, sagum pretiosius, imò se totum exuit; interim cælo, DEOq; usq; ad excessum mentis indulgens. Ita in mundum peccare cæpit animosa pietas! ita placuit delinquere contra gloriæ pompam! Iam ergo totus calere DEO, oblivisci sûi, & tantùm meminisse æternorum. O quot votis, quot suspiriis cæleste illud palatium adivit! continuâ veluti irruptione, oculus excurrit ad supernas ædes. Hinc factum est, ut venena, ac mortes per terram spargi, omnia fætore afflari teterrimo crederet, si vel oculo cælum delibaret.
" Quæ mundus hic (ajebat) sentina! quæ
" colluvies putoris! totus mihi in cada-
" ver plus quàm capulare degeneravit, to-
" taq; ampliùs nisi despicienda fordet ter-
" ra, dum aspicio cælos. Tumuli mihi in-
stat

ftar eft hic orbis terrarum, at tumuli ,, cadaveribus impleti, fædi purulentiis.

Reftabat generis claritudo, ardebant illuftria in ceris, metallisq; ftemmata; fed fulgur hoc lædebat pupillam, quæ jam cælo fruebatur. Hinc dum intueretur, gentilitium illud decus, Lupum imminentem, inhiantemq; ollæ, exclamabat: Iftanè funt ,, nobilitatis infignia, quæ natura ad fylvas ,, damnavit? hoc fe cenfet ambitio mor- ,, talium, quod belluæ minores, & tota ,, ferme fylva formidat? monftra naturæ ,, ad gloriam fingimus? terriculamenta ne- ,, moris in trophæa folicitamus? fera eft, ,, quæ neq; in ceris pofuit feritatem; a- ,, nimos certè, qui fua tumeant nobilitate, ,, depafcitur. At ego pictos etiam timeo ,, lupos, timeo belluas etiam in tabula Par- ,, rhafii, fi ad faftum pingantur: fuam itaq; ,, Ollam nobilis licèt Fera introfpiciat, illi ,, oculos, & gulam immergat: mihi cæ- ,, lum confpicere confultiùs illuftriùsq; eft. ,, Nec me fallunt affectus, quos talium ,, jactantia nuper ludebat. Cùm verò ex- ,, ciperet literas, & in iis plena illecebrarum officia, amorisq; confanguinei certamen, ad rogum damnavit pabula humanorum affectuum; ut cum flammis, fumoq;, omnes ad cælum amores trajiceret. Illu-

xit itaq; pyra de affectibus, arserunt cognati amores, cum pagina: at IGNATIUS de ipsamet natura, ejusq; legibus triumphans, inter busta meliùs cælum aspexit. Postquam verò amorem sûi, suorumq; penitùs exuisset, non habuit, quod in immodico ardore perderet; nisi mentem. Omnibus se exspoliaverat opibus, imò spe, ac libidine habendi; solus supererat animus, qui contemneret fluxa, inardesceret ad non peritura. At IGNATIUS sûi quoq; prodigus, dum se expendit in amores cælestium, postremò animum inter delicias cæli perdidit. Nam sensim, dum cælos intueretur, mens oculum sequebatur, & luminibus suis, animus abducebatur. Quid enim? Manresæ consectatur tota mente DEUM; se ipsum effugit. Etenim macie notabilis, pallore deformis, ubi supra terras, supra humana, supra quidquid mortale est; * (*nam subsilire in cælum ex angulo licet*) sese attollit, in terram concidendo. Intercepta sensuum obsequia, tota mors videbatur se omnibus membris sic infudisse, quasi mens in DEUM absorpta, nihil vitæ corpori reliquisset. Iacebat vivum funus octò diebus; sed jacebatne tantùm? adivit animus Divorum penetralia, omnia scrutatus est arcana. Quid-

* *Seneca ep: 31.*

quid Divini sanctior pagina complectitur, IGNATIUS introspexit, memoriq; impressit animo: quidquid DEUS habet, in ipsomet DEO clausis etiam luminibus vix non totum vidit, relegit, & scivit in terra, quod nunc conspicit in cælo: futurus deinceps mundo bibliotheca, si omnes libros quodpiam fatum, aut incuriosa Divinorum ruditas exstingueret. Prima tantùm literarum elementa noverat; at inter hæc didicit mysterium Trinitatis. Primum ergo illi tirocinium, prima sapiendi rudimenta, reconditum Theologis argumentum, Trinitas. Inde cæpit, quò alii vix eluctantur, postquam millenos sudores labor expressit literarius, & calami detriti sunt. Sanctissimus Parens plus momento ferè vidit, quàm sæculis integris alius cogitaverit: plus ille rudis, ille literarum expers, principio discendi, etiam oculo consecutus est, quàm doctissimi mente. Non nuncupem doctiorem IGNATII ruditatem, multorum sapientia? Dixi, Auditores, LOJOLAM vidisse arcana Divinorum: vidit enim SS. TRINITATEM specie quadam visibili, id significante exteriùs. O Te felicem LOJOLA! quod aliis arcanum est, Tibi evidentia. Tantùm abfuit, ut fidem in Te extingueres, ad cujus incrementum, Tua hactenus Societas inardescit. O

Te

Te prodigium! Te ad cælestia festinum! pede claudus viator esse vix poteras; at etiam sic prostratus, prope in metis beatorum stetisti, admirabilis comprehensor! nempè, facilè in sapientiæ culmen eluctatur, cujus rudimenta magisterio cælesti instruuntur. Ampliùs advertite Auditores oculatissimam in cælestia ruditatem. Subinde vidit IGNATIUS, quod omnium aspectus hominum effugit, & tantùm cælitibus non est arcanum. Nimirùm: dum sacra agerentur, ac inter aras, & altaria, tremendus ille DEVS, nubem exstincti Panis relictam, ita præsens ac cælum, sideraq; inederat, LOJOLA clarè in obscurissimo accidentium latibulo, vidit verum DEVM, hominemq; verissimè contineri. Grandia hæc; sed præsentia. Poterat intueri etiam illa, quæ tempus jam evolutum, abditè sepelivit. Nec verò atomum, exile punctum, vel guttam pelagi, sed modum, quo supremus ille artifex universa fabricavit, ita perspexerat IGNATIUS, ut si interfuisset aut consultor, aut spectator operis admirandi. Vidit quomodo DEVS, globos terræ, cæliq;, è nihilo quasi è fonte omnium effuderit, terras mari inundaverit, cælos astris pinxerit, ignes æternos accenderit, rebus semina, causasq; impresserit, elementorum dissidia composuerit, & inter

hæc,

hæc, ſanxerit fædera, quomodò ſuſpenderit tantas moles, & pondera; quomodò ſapientia tantorum artifex, mirandáq; potentia veluti luſerit, agendo grandia, nec operis moles confuderit, aut laſſaverit providentiam. Iſta egit operum initio DEVS; IGNATIUS longè pòſt vidit. Taceo viſos ſubinde Spiritus, Divos, & horum Reginam; perſpecta æternorum myſteria, inveſtigatas quæ in ſinu Altiſſimi latent veritates. Et iſta, non tam cognovit, quàm aſpexit; idcirco videtur oculus defunctus eſſe, intellectûs miniſterio, atq; naturæ officia pervertiſſe. Silere haud poſſum cæleſtem IGNATII voluptatem, quâ perfuſus eſt, dum ſacros Paleſtinæ fines, & rubentia Divino Sanguine viſeret monumenta. Tot terræ Sanctum Erronem tulerant, tot ſoles peregrini exuſſerant, at magìs vota, libidoq; cernendi, & natalem, & carnificem DEI Patriam. Iam ſuperatis Oceani horroribus & tantùm non millenis mortibus, expoſuerat illum fortunata navis in portus optatos. Erro Sanctiſſimus cælo ſe illatum credebat, dum Sanctam tellurem proteret. Hîc ille CHRISTI veſtigia relegere, perluſtrare illuſtres pœnis Divinis oras, mille baſia, & cum his, plurimum animæ, ſaxis, pulveribus imprimere, cælos interim

ocu-

oculo, cælos animo pervagari. Ecce autem, dum revolvit mente supplicia DEI, notasq; pænarum in saxis, & ruderibus urbis prostratæ relegit, cæli deliciis emollitur, mox liquescit, totusq; pæne immoritur sanctæ voluptati. Ne autem numinis probra tantùm meditaretur, etiam sensit. Nam ex Oliveto, unde DEVS in cælum triumphali nube subvectus est, raptatur, protruditur, trahitur; ad tribunal, ad judicem, ad contumelias. Sed neq; hic cælo caruit; siquidem totus illi Christus & menti, & oculis sese objecit, forsan non ab simili imagine, quâ Romam adeunti deinceps comparuit, cælestesq; favores, in ista Vrbe Divino consignavit promisso: proinde veluti triumphum veheret, vel è cælo digrederetur, ita voluptate patiendi lætus, ad opprobria se inferebat. Credebat nullum hîc, ubi ludibrium fuit DEVS, augustiorem posse adornari honorem, quàm si dedecora, plagæ etiam ingererentur, maximè verò tales, quas cæli deliciæ condirent. Quod si autem, inter atrocia, cùm intra terras pæne dejiceretur Ignatius, erecta mens, ita in cælum ferebatur, ut è carcere, manibus lictorum, & flagris, (ùt semper magnæ virtuti obsistunt magna infortunia) tanquam à superum consortio rediret, quid mirum est, vultum ar-

fiſſe radiis cæleſtibus, oculos quaſi ſole radiaſſe: dum ſupernorum meditatione ſublimis tolleretur, & ſe animus ad Divina erectior permiſceret cælitibus? Quid admirer, toties DEIparam ſpectabilem affulſiſſe IGNATIO; quin & Divinæ Majeſtatem Triadis comparuiſſe; cùm melior Lycurgo, Numâq; Legiſlator jura conderet, quibus nunc certiùs inflectimur, quàm dubios inter fluctus proræ nutantes natantesq; regantur illo ſuo plùs quàm navarcho, magnete, qui arcanè cælo conſentit, ut moderetur vela, & ignotas per æquora vias pandat? Reconditas moliebatur leges novi Auctor inſtituti? & hîc illi pro Egeria, Divina Mater ſanciebat jura, & terrarum ſalutem: & hîc illi pro Tripode Apollinis, ipſum, quô nihil majus, conſultiusq; eſt, Numen. Non potuit certè tunc retrahere à cælo oculos, qui pro cælo agebat, nec DEO, Divisq; deſtitui, quorum negotium hiſce legibus decernebat. Iam ſe pæne aſtris invexerat IGNATIus; cùm umbra duntaxat ſûi hæſerat in terra. Aderant tamen nubes, quæ poterant eripere aſpectum. Primò enim teterrimæ ſcrupulorum nox, nox illa, quæ mobiles, aut non bene eruditas mentes afflare conſuevit, IGNATIO ſe infudit. Quidquid ageret, delictum videbatur; dum quavis actione, cælum,

lum, ſuperos, DEVM, & quidquid ſancti eſt, oppugnari à ſe ſuſpicaretur; quaſi nihil poſſet facere, nisi crimina, & tantùm laceſſere ſuperos, inferos mereri, ſeſe perditum ire. Evanuerant hæc nubila; ſed contraria, pejora, enata ſunt, ſcilicet peſſima magnarum mentium contagio, jactantia ſanctitatis, & tumor de probitate animum pulſavit. Proſtratus ægritudine, humi decumbebat, ſed animus volitabat ultra ſidera. Nimirum teterrimus umbrarum habitator, ipſisq; noctibus nigrior ille genius, quò omnem ex animo LOJOLÆ evelleret ſanctitatem, omnem illi objectabat, ut inani virtutum gloria tumentem, in præceps dejiceret. Credite enim Auditores, nihil faciliùs eripit cælum mortalibus, quàm ſi faſtus cælo ſe proximum arbitretur. Quoties ſe apotheoſi conſecravit arrogantiùs præſumpta opinio, toties veluti Æolus in altum attollens, rurſumq; dimittens onerariam, aut concuſſit, aut demerſit, aut certè infirmavit.

At etiam, dum omnia pro DEO, Divisq; agitaret, pronum erat, ut ſenſim recideret ab iisdem. Vt enim telum ſi fortiùs impingat in ſaxum, ipsâmet volandi vehementiâ, ſic reprimitur, ut procul à meta reſiliat, ita ſi nimius ardor, cæteros nimiùm

ad

ad astra adigat, impellatq; ex studio sanctiore languet ad sûi curas; cùmq; nimis applicat cælo alios, retunditur contentione agendi plurima: quo fit, ut sensim defluat virtus, ac enervetur. Ille tantum egit, quantum plurimi ne cogitatione quidem assequi potuerunt. Inter hæc, veluti non monstraret viam ad superos, sed cælo inferret terras, semper cælestibus, & animo interfuit, & oculo. Et poterat. Nam si bellator ille temerarius perinde, ac fortunatus, ex æquo, an jactanter? eam de se famam in publicum sparsit; * *media inter prælia semper, stellarum, cæliq; plagis, superiq; vacavi.* Id tantò veriùs de homine illo sidereo prædicare possumus, quanto constantiùs, meliùsq; cælo IGNATIUS, quàm Cæsar vacaret. Curiosa hic superstitione, vel inani studio, plerumq; & astra versavit, & superos coluit: ille seria pietate, atq; contemplatione DEO, cælisq; veluti clavo se affixerat. In vultu inflammato cælestium affectuum notæ emicabant; sed oculi fletu graves, dum fastidio terrenorum suspirat in æterna, vel prioris vitæ nævos eluit pænitentia, in quos incautæ juventutis solutior impetus se præcipitaverat, vel aliena, tanquam sua piacula deplorat, vel demum cælestibus deliciis vo-

lupta*s*

* *Lucan: l. 10.*

luptas lugendi se admisceret, oculi (inquam) fletu graves, tanquam perpetuò navigarent ad cælos, in lachrymarum profluvio natabant. Imò in portu ad quem applicuerat se mens beata, acies quoq; pupillarum consistebat. Hinc illi novum apud populares cognomentum. Cùm enim ab aliis unus è Seraphinis humana duntaxat carne circumdatus, pietatis animatum exemplar ab aliis, à plerisq; amplificator Christiani imperii, vel Atlas orbem fulciens humeris doctrinæ, & pietatis, à multis fortissimus contra Luterum Athleta, cynosura religiosæ Philosophiæ, cælum quinque zonis præcinctum, Ætna Divini amoris, exemplum illustris sanctitatis, gerens animum majorem mundo, hostis acerrimus Hæreticorum, ignis cælestis, luminare majus orbis Christiani, magister fidei, natus verè hominibus juvandis, prodigium Sanctitatis, Pharus accensa in vitæ hujus pelago, restaurans in Ecclesia DEI collabentia virtutum ædificia, sagitta è Divina pharetra emissa, speculum prudentiæ, & salutis; tertius collabentis mundi sustentator, vexillifer æterni Regis, thaumaturgus miraculis: imò caput novorum Apostolorum, columen magnum & defensor Ecclesiæ, gubernator secundus ab A-

postolis ecclesiasticæ navis, lumen, & perpetuum munimen, & Patriarcha Magnus ecclesiæ, Paulus alter commutatione vitæ; ab omnibus Divinus homo vocaretur; vulgus incondita quidem voce, sincero tamen elogio Patrem appellabat, qui *continuo cœlum adspicit, & semper de DEO loquitur.* Ita Sanctissimo Parenti nostro, in oculis, & lingua, aliàs dedecorum sentinis, vocabula in decus nascebantur.

Magnus est in nominibus error; cùm spondeant honorem, aut virtutes: dedecore, vel noxis, polluuntur. Sed hæc labes adspergitur, ubi ambitio studiosiùs in nomina laborat. Quodsi à cælo fluant appellationes, non auguria sunt tantùm futurorum; sed monimenta, sed pignus, & auctoramenta ingentium actorum. Age nunc: Nomen IGNATIO num ex incude superbiæ prolatum est, aut casuum temeritate venit? Ipse sibi infans adhuc, non balbutiit, verùm distinctè elocutus est: **IGNATIUS Nomen est meum*: at non ipse Infans suo de sensu utiq; tunc caligante deprompsit. Cæli inventum erat, & Mysterium; sed in auguria futurorum. Ignis, ex quo Nomen hoc enatum est, evehit se ab imo terrarum in superna tam expedito nisu, ut arcanas à na-

* *Ex vita S. Ignatii Venetiis edita.*

tura alas habere videatur. Et IGNATIUS Nomine velut monitore usus, ingenium ignîs semper in æstu curarum nec non adversorum gerens, sic in Cælum evolabat, ut cùm lustraret terras industriâ, sideribus & oculum, & plenam DEI mentem immergeret, atq; sic transiliret mortalitatem suam, unà in meliorem transcriberetur sortem.

O magnum regionis æthereæ sidus! ô supernæ Civitatis incola, etiam tunc, dum ageres in terra, quamcunq; modò cæli partem insedisti, dimitte oculos in terram, & liberrimo aspectu pervagare tuos clientes. Plurimum favoris addes, si vestigia consignaveris; ut, quibus tuum cor, affectus tui, oculi demum excurrebant viis in astra, iisdem, liberrimè feramur. *Dixi.*

ORATIO TERTIA.

IMMENSITAS XAVERIANA.

ELingues alibi disertos facit XAVERIUS: mihi quidquid eloquentiæ, vel ab ingenio profluere, vel ab arte potuit extorqueri, id totum intercipit FRANCISCUS; ut inter prodigia Divorum etiam muti recenseâtur.

Quid-

Quidquid enim XAVERIUS egit, (egit autem ingentia, prope infinita) ad nirationem comple-cti potest, non potest Oratio. Xaverianum est: quidquid maximum. Diu sæcula cum cælo contendent, antequam similem non, dico, extorquere à superis, sed voto concipere licebit. Quid agam? ingens mihi è rerum cùm multitudine, tum diversitate nascitur silendi necessitas. Sed quid agam? quæ aspexit Europa, referam? India toto orbe divisa, & Oriens universus occurrit. Terras sudore, ac trophæis illustratas aggrediar? jam se mihi objiciunt maria, prodigiis quàm aquis pleniora. Terrarum commoda recensebo? quæ pro cælo XAVERIUS egit, offeruntur. Virtutibus, quibus instruxerat mentem, immoror? obversantur mēti Reges, Regna, populi, mundus prope universus vero Numini subjugatus, elementa domita, & inter triumphos, etiam mortes debellatæ. Itaq; cùm inter molem hanc actorum ingentium ars Oratoria fatiscat, pæne intereat, solum hoc, còacta, in unum magnitudine, dicere compellor: unum extitisse XAVERIUM, cui divinitùs immensitas quædam contigisset. Expendite universa Auditores, ac tandem audaciam dicti approbate. Cui enim non humanus pænè animus, paresq; animo ausus, cui per ter-

ras, sivè illas ubi nascitur dies', sivè per has, ubi eadem emoritur, veluti patria, cui non dominium modò in elementa, at etiam inter hæc veluti domicilium: postremò cujus nomen circumferri, titulos figi totum per orbem terrarum post fata contigit, nonnè is immensus videbitur? Libet singula prosequi, sed strictè. Quæ cùm ego probavero, Vos Xaverianam immensitatem approbabitis.

Nam primum animus illi, qualem è cunis efferunt illustrissimis, quos ad ingentia natura finxit. Ex amplissima stirpe manavit, in qua totidem pæne Heròes nascebantur, quot Xaverii. Maternis pariter in stemmatibus non fusum, aut dedecora numeravit; sed ingentia Proavorum nomina, sed purpuras, primosq; fasces. Ita cumulatus est domestico decore, ut censu naturæ, fortunæq; locuples, in curam potioris boni incumberet. et incubuit. Magnificum spiravit animum; quia parem, vel toti mundo. Novimus equidem ab augusto lare, subindè angustissimas mentes emergere, ex cunis, & fasciis illustribus dedecora enatare, multosq; felices creari ad piacula: ut etiam aurum in monstra animari, in gemmis flagitia sculpi, & fabulosa apotheosi crimina Deorum in cælo radiare.

Exer-

Exercet fortunatos immanitas votorum, ambitus excruciat, & velut Ixionis rota versat in deteriora. Summa ambiunt; & sectantur, parati omnia confundere, humana sint, vel Divina, ut soli emineant. At verò suprema illa Mens, cujus nutu omnia gubernantur, ita de Francisco statuit: Xaverius Ignatianus sit, ut sit fortissimus, „ ut nihil ambiat, quod non Divinum sit. „ Ergo ex Lojola hausit Spiritus ingentes, ut mundanus ille, ille popularis, solùm appeteret mundos, & populos, quos ad virtutem fingeret. In monte Martyrum pectus ampliavit augustis spiritibus, qui etsi adstringerentur catenis, nutrirentur ulceris sanie hausta, sic tamen in immensum tendebant, ut nec adversa dejicerent animum, nec prospera emollirent, aut cohiberent. Altiùs eniti cupiebat, dum se per omnia sparsisset. Ex labore nascebatur labor, sed mentis robustæ vires nulla adversitas debilitavit. Vna calamitas pariebat mille ærumnas; sed nullâ fractus Francisci animus ex arduo se colligebat. Ergo urgere successus, instare Numinis favori, omnia sperare, & audere omnia, crederéq;, nihil tam atrox aut impervium objici posse à fatis, quod non superaret magnanimitas succincta DEO. Horrebant scopuli, assurgebant

montes, furiæ pelagi æstuabant, fluviorum petulantia feroces aquas convolvebat, agenti pro cælo injuriæ cæli obluctabantur, pænè infesta suis cum monstris Iuno occurrebat, & quod fabulæ non finxerant, obstabat. Ad hæc pertinacibus saxis durior, fluviis insanientibus ferocior, suisq; terris crassior barbaries colenda erat. Obicem ponebat impotens Tyrannorum potentia, & tàm suæ, quàm cæterorum saluti inimica, tantùmq; perdere, & perire vis parata resistebat. Fidem superûm! quâ magnitudine aggressus est? quâ constantiâ pervicit omnia FRANCISCUS, ut ex duris tantùm fortiores animos sumeret, pericula autem alere animum, ingentia volventem, industriam acuere difficultates viderentur? Nec unum modò agitabat: in immensum studia laxabantur. Sternebant vitia corruptos? è scelerum sentina, propè ex orco vindicabat. Morbi, vel egestas invalescebant; contra utraq; pugnavit XAVIER, manu, ope, consilio. Ruditas alibi populos efferabat: ille, ut feritas in jura humanitatis transiret, studiosissimè nitebatur. Etiam contra mortes pugnatum est: vacuavit urnas, tumulis 50. spiritum afflavit. Squalore, & funere depulso quasi vitam sinu, & pectore circumtulisset. Et ne uni loco, ac

for-

fortunæ viveret, à Regum augustalibus, à Procerum palatiis, ab urbium nitore, recipiebat se ad jacentes casas, ad vulgi tuguria, ad populum, quem fortuna inclementior projecit. A pelago remeabat ad terras, rursus à terris volabat in æquora, interq; horrores maris, inter Scyllas, & naufragia, quasi aquatilis homo foret, ita prodigus ingentis animæ, versabatur. Nulla se facultas obtulit audendi ingentia, quam non vellet, rursus nullam voluit, quam non aggrederetur, & nullam aggressus est, quam non felix exitus coronaret. Cui fortiora unquam persuasit ambitio, etsi mari catenas injiceret Xerxes, etsi fatale illud malum terrarum Alexander regna pervaderet bellis, etsi Pænus ille Alpes attereret, omnibusq; primò inferret bellum elementis, universam prope naturam oppugnaret, antequàm ad portas consisteret Romanas? Nullum inquam, ad audendum plura fastus ascendit, quàm XAVERIUM arcana vis Superûm, ut nullus exstaret in terris, qui non cælo viveret. Sola horridæ virtuti satis erat voluptas: etiam hæc, quæ à cælo emanaret. Nec cælestes blanditiæ demulcebant è voto animum, quem fortis pietas induraverat. Volvebat mente; ore etiam sunt quos sanctitas delicata ad blanditi-

" as cælestes emollivit; illos Divini luxus,
" illos sidereæ titillent illecebræ. Mihi
" constitutum est, vel cælo carere ad vo-
" luptates, dum ago in humanis. Gut-
" tam delibavi cælestis delicii: & quale sit
pelagus dulcedinum illarum, didici. Iam
satis. Prodigium hoc non humanum! quis
mortalium solatia quæ veniunt à terris, nó
appetat? ille & cælestia detrectavit. Itaq;
fortis anima crescebat adversis, seq; ex du-
ro erigebat in sublimia, usus tolerandi pe-
ricula, magnam indolem nutriebat. Cre-
dite immensitatem animi esse, qui se con-
trahit ad usum deliciarum, exporrigit in ad-
versa.

Iam mihi utrumq; solis cubile, & in-
tra hoc immensa terrarum spatia, terris
quoq; interfusi, sed terris vastiores pelagi
sese objiciunt, ubiq; XAVERIUS occurrit ja-
ctatus ventis, mari fluctuans, volitans per
terras. Per fidem! volucer ille homo, an
fulmineus, qui tantum mundi emensus est,
aut pede, aut navigio, quantum vix ii pin-
gunt, qui terrarum situs tabellis amplectun-
tur? Erupit ab Hispania in Galliam, è Gal-
lia in Italiam, ex Italia in Lusitaniam, inde
per terras, & maria, & per insanos flumi-
num vortices alium in orbem devolutus
est, Igneo vigori satisne istud? in novo
orbe,

orbe, novos ſcrutatus eſt orbes; novasq; terras non tam aperuit, quàm condidit. Luſtrata, qua ſe vaſtiſſimè protendit Africâ, aditis, & Inſulis, & urbibus, & regnis; Aſiam invadere non humile votum fuit. Illatus Aſiæ non quievit: ferebatur virtus irrequieta, ac uno loco ſtare neſcia per Provincias, & regiones; ab Indis in Iaponiam, indè poſt biennii ſudores India repetita, mox deſerta. Scilicet claſſe ingenti magnam animam per turbidum mare, & per diſcrimina plùsquàm millena provexit; ſed dùm prope ultra terminos rerum, metasq; naturæ protendit imperia DEI, dum ultra illos primæ lucis indigenas feſtinat, ſtetit in finibus ſimul Sinarum, ſimul vitæ. Et jam ingens XAVERIUS grande funus eſt; jam ſpiritu exhalato victuras olim cælo regiones afflavit. Crudele fatorum crimen! facinus nullis vindicandum lacrymis! duriſſimam, execrabilem neceſſitatem! hoc ſaltem debuit non licuiſſe morti! Nam cùm omnia poſſe credereris FRANCISCE, non poſſe mori videbaris. Suprema Divi recito; at potentiam, quâ ſe per univerſa diffuderat, vix delibavi! Ita ille omnibus elementis fruebatur, tanquam omnibus imperaret; cùmq; omnia ſperneret terrena, terram propè omnē pedibus contrivit, vix non omnium hoſpes

regionum. Exiguum eſt iſtud! bruta etiam calcare poſſunt tellurem, non poſſunt implere miraculis, niſi quibus Divinæ plurimum eſt virtutis. Iam quantus hic Xaverius? terris quandoq;, cùm iſtæ non minùs ad ſcelerum, quàm ad gulæ nutrimentum inducerentur ſegetibus, ſterilitatem indixit & meſſibus, quæ horreis cõdebantur (ita Franciscus imperaverat) ſubita incubuit tabes. Mirum hoc! fecunditatem annis ſterilibus jejunis opulentiam glebis decuerat dare, non auferre. Sed debuit inſolens natio doceri, quòd in manibus Xaverii forent abũdantia, vel fames. Ad ſubigendos inſolentiæ motus grande eſt telum inopia. Quos rerum affluentia diſſolvit, coërceri poſſunt facultatibus in arctum deductis.

Iam quantus in àëre cæloq; ſit Xaverius, vel hinc conjicite. Tolus (Vrbem ſic vocant in Molucenſibus inſulis) quam facilè ex Francisco legem DEI didicerat, tam perfidè poſthac projecit. Hic enimverò tabeſcere, emori, non tamen animo cadere Vir Thaumaturgus. Tanta illi inerat conſtantia, ut mille calamitatibus poſſet oppugnari, expugnari nè immenſis quidem. Dolori fuit ac millia, quæ ille in caſtra Domini luſtralibus aquis transſcripſerat, iterum ad idola deſciſcere, nec tantum illud; etiam

am cruces revellere, dejicere, pæne cruciare, demoliri aras, templa subvertere, & quidquid sancti est, Sacrilegio contaminare. Quis hic Xaverius? ne impetus agendi corrumperet maturitatem consilii, primò rebelles leni hortatu, aliàs concitato aggredi, precibus lacrymas admiscere; interim satagere multùm, nihil proficere. Tum iram consuluit suam, qua ratione injuriam Numinis ulcisceretur. Et placuit à manu ferroq; argumenta promere; cùm inermis ratio non evinceret. Quamobrem contra hostes, qui furore uno, & cælos violabant, & terras, jam verò tàm numero, quàm furore valebant, quadringentos armavit, opposuit: ipse & Dux belli, & auctor, & plusquam Gradivus emicuit. Ne autem profano Marte contaminaret Sacrum pectus, cùm alii telis, ferroq; armarentur, Francisco elementa pro armis fuere: cælo etiam pugnavit contra cæli hostes. Nam tanta caligo involvit Solem, ut totam is noctem admisisse videretur in vultum. Nocturnæ mentes tenebris oppugnatæ sunt triduum; ne quid viderent suam præter cæcitatem. Eodem tempore de monte proximo novum prodigium erupit, tanta scilicet ignium tempestas, ut cum Xaverio Vesuvius è Campania, Ætna è Sicilia in orientem migrasse

ere.

crederetur. Triduo procella ignea pluebat, & triduo terrebat hostem, ut ex mora gravitas pœnis adderetur. Pumex prætereà volatilis, quasi grando Saxea ruebat, quia contra duras, pumiceasq; mentes jaculum mollius haud poterat vibrari. Vt etiam constaret exili telo impietatem profligari, dum innocentia belligerat; mons idem tanta copia cineres ejaculatus est, ut æquaret fastigium arcis, quæ mōti imposita altissimè assurgebat. Cineres ergo quasi fulmina, ruebant: quia vel atomus feriebat rebelles DEO. Facilè impietas oppugnari, facilè terreri, atq; opprimi potest. Pulvis etiam tormentum est contra malignas mentes: cinis tantillus, plusquàm mille Machinæ oppugnatam sceleribus quatit conscientiam, profligat animum, quem piacula obsederunt. In pœnas hìc exercebat se pietas, ut à cælo vires, atq; suppetias traheret in scelerum ultionem: quàm sæpiùs in beneficia? Vlatem memoro Vrbem, quæ à barbaris toto armorum impetu cùm expugnari non posset, siti (quàm levi telo prosternimur!) jam prope debellabatur, cùmq; obsessi arescerent siti, laurus succrescebat hosti. Interim Franciscus cælum precibus invasit, ut è nubibus imbrem deduceret. Fudit ille cum suspiriis lacrymam; nubes refuderunt

nim-

nimbos, quibus & furor hostium, & sitis miseræ civitatis restingueretur, subitòq; libertas pristina enataret.

Sileam nè aquas, & Oceani furores, quos ille ita componebat, ut si tridentem citra fabulas circumtulisset? Dum XAVERIUS navigaret, ita furebat non rarò pelagus, ut fluctibus jam jam hauriretur carina; sed vix Divus exoravit opem cælitum, illico velut cælesti imperio jussa tempestas sternebatur, & mare subitò dormiebat. Plerumq; nec opem à cælo contra furias debacchantium aquarum vocaverat; nihilominùs quasi cæleste ingenium esset aquis, ut Sacrum, quod dorso transportabant, pondus sentirent; venti conticescere, turbines pacari, irati fluctus cicurari. Semel ausa est tempestas lacerare navem, quam ille insederat: sed ut pareret, quantus esset XAVERIUS in mari. Triduum tabulâ è fragmentis carinæ inter turbinem, & iras procellosi æquoris fluctuabat, verùm quasi placidos portus secum deveheret, sic in turbido res tutæ erant. Ipsa pericula in gloriam cesserunt, constititq; magnæ virtuti, & in salo solum esse. Absens etiam vix invocatus est à jactatis pelago; procellæ consederunt. Nè autem æquoris, aut terrarum duntaxat indigena videretur: ecce &

äëreum. Ita rem accipite Auditores: Vincentiæ primitias (ùt ajunt) DEO litabat: aderat plurima populi concio: aderat IGNATIUS, qui solus XAVERIO grandem populum faciebat. Tum primò intus ardere, mox, veluti Ægæam hyemem, intra pectus admisisset; & tota hæc soluta foret æstu, sic diffluere lacrymis, mox arcana vi abstrahi à mente, totoq; animo excedere, (nimirùm tales excessus poterat duntaxat innocentia committere) mox à terra subduci, & in äëre circumfusus luce pendere. Aliàs cùm cælestem Ambrosiam porrigebat, non rarò supra terram levabatur, tanquam non ab ara, sed à cælo deferret cæleste pignus. Sæpe etiam cùm terrigenas cælestia doceret, à terris subductus in äëra provehebatur, ut relictâ sub pedibus terra se toto cælestia persuaderet. Itidem dum votis indulgeret, multâq; pernox effunderet precationem, uno alterovè cubito, pluribus interdum supra tellurem vehebatur; tanquam non exoraret cælum, sed invaderet. Dum ista propono, dum plura prætereo, an non sparsam per elementa immensitatem XAVERII fatebimini? præsertim ubi multiplex occurrit, ac in uno XAVERIO (ut ita dicam) XAVERII plures. Eodem namq; tempore pluribus locis non rarò aderat, sic autem, ut a-

libi

libi exoraret ſuperos, alibi excoleret, naufragos tempeſtati, & paratæ morti eriperet alibi; at iſta ſimul agebantur. Equidem unus ille toti ſufficiebat mundo, nè dum orienti; ſed populorum ſalus plures deſiderabat FRANCISCOS. Rerum natura ſimilem gignere non valebat: XAVERIUS ſùi fecundiſſimus poterat ſe geminare, ac veluti gignere, ut inter prodigia ſe quoq; multiplicem numeraret. Hæc quidem majora homine; ſed non FRANCISCO. Natus univerſis, tantùm non omnia debuerat implere. Huc refero, quod unius populi ſic promebat idioma, ut Indus intelligeret atq; Iapon, tùm quidquid gentium confluebat. Nimirum animatæ DEO voces, in auribus omnium renaſcebantur, & ſua ſermoni immenſitas pullulabat. Quid tandem? diviſum cum DEO, quando in vivis agebat, imperium tenere XAVIER videbatur: ſed neq; mors ingentem Virum diminuit. Nihil cineris eſt in tumba è Magno XAVERIO, ùt ſtabat, ùt incedebat, jacet; & adhuc ſpirare videtur ex urna, quam integritate corporis implevit. Oculi patent, nèutiquam morte clauſi: dubites extinctum. Cælo receptus eſt animus? corpus India tenet. Tantumnè? ut Orbem utrumq; amplecteretur, Manum, quæ Romanis tantum egit pro ſa-

cris,

cris, quantum nec centimanus egiſſet, in Latium promiſit, ſeq; Indiam inter, ac Romam partitus eſt.

Nè verò in immenſum vagetur Oratio, dum celebro immenſitatem XAVERII ſic finire lubet. Amores Tui per omnes populos, & omnia per regna FRANCISCE diffudiſti. Ille es, cui toto orbe terrarum publica, & privata vota redduntur: à quo petit ſerenum, qui, & navim, & animum credidit ventis, pelagoq;: cui peregrinus reditum commendat; pugnaturus autem ferrum ſic corripit, ut cælo, Tibiq; ſucceſſum belli remittat; quo demum auſpice, ingenia ſudant, laborant calami, facundia perorat, & conticeſcit. *Dixi.*

ORATIO QVARTA.

Homo ſupra mortales.

S. FRANCISCUS XAVERIUS.

EXiguum foret hoc tantùm conferre in laudes, ſi XAVERIUM ingentem duntaxat Virum, aut reliquias aurei ſeculi nuncuparem. Fabula eſt ſeculum iſtud, & quidquid de illo eruditæ ad fingendum, ad imponendum ſolertes animæ comminiſcebantur, fabula eſt. At quamvis figmenta hæc

indu-

induerent sibi veritatem; Xavier ut auro, & quidquid pretiosior natura parturit altiùs exsurgit, sic laudatio hinc deducta serpit, & vix elogium est. Sanctitas sincerè laudari debet; nè non Sanctitas videatur esse. Quid itaq;? veritate solà nitemur! perdidimus artem Oratores; nihil habemus, quod dicatur. Immensa sunt, quæ se offerunt dictioni; at Oratori non licet esse immenso. Fortunatior hodie forem, si liceret acta effingere, simulare ingentia, virtutes componere, & ingenii figmenta promere in commendationem Divi. Etenim pauciora effingi possunt; quàm sint ea, quæ Franciscus egit. Apologi quoq; faciliùs fidem merentur, quàm veritas incorrupta. Egit enim Xaverius, quæ vix ab homine aliquando agi poterant. Quis universa, vel admiratione, vel stylo amplectatur? toto pene orbe monumenta ingentium actorum extant tam grandia, quàm ipsemet mundus grandis est; imò hoc etiam eminentiora: quia Franciscus ultra naturæ ingenium, ultra mortalium vires sese extulit agendo. Quare non Sacrilegâ Oratione expediam laudes, si Xaverium dixero hominem ultra mortales, aut ex cælesti oraculo Gregorii XV. Cælitibus magis similem, quàm terrigenis.

Vt Franciscus ingens homo evasisset, natura fortunaq; laboravit, ut verò divinum hominem, & ultra mortales induisset, gratiæ præstiterunt. Quare magnitudinem cælestis viri non hinc deduco, quòd fortunæ illustrioris privilegio, traxerit à summis originem, quodq; suæ concolorem nobilitati, & vultum, & animum natura tribuerit; cum eadem multis ideo collata videantur, ut vix homines se præstent, quando humanis vitiis sese corrumpit sors beatior. Quàm cum multis meliùs egissent fata, si iniquius? siquidem luxus colligit vires è prosperis ad impetum vitiorum. Quid si Franciscus in purpura, & strepitu fortunæ superbioris eminuisset! si bella, & currus triumpho graves circumvehendo, auxisset nomina bellatorum, trophæaq;, aut eruditum, parq; omnibus coronamentis caput extulissent tiaræ? nonnè ingentem tunc Virum diceremus? Quia contemptor animus speciosis insultavit, è tenuitate rerum nata est ea tituli majestas, ut egressus videatur omnia fastigia, ac nomina, quæcunq; mortalia sunt. Attamen feres Divine Vir, & ultra homines homo temeritatem judicii nostri. Nam mihi expendenti, eundem te accingi immenso itineri, ad longinquas gentes terrâ, plenisq; inferri velis, omnium in

usus, etiam quos fortuna projecit, humanissimè expandi, expendiq;, percontandus videris, an non inhumanum sit, à patrio sole, soloq;, tanquam hostilia forent, abhorrere? Pirenæo saltu superato, Pompelonis fines ingressus es: patriam oculo, pedeq; vix non teris: nihil devium, neq; ab India, neq; à sanctitate futurum est, si tantillum ad natalem terram deflectas? Illustrissima Parens, annis, ac desideriis tui fessa, ultimos parat amplexus, lacrymas, quibus abeuntem prosequatur in promptu habet: præstolantur cognati, necessariiq;, votum omnibus idem est: videant Apostolum, hauriant Spiritus cælestes è pectore valedicentis. Legatus in orientem Regius id ipsum suadet; vix non pleno mari ad te augustus sanguis prolabitur, ut te consciis natalium laribus præsentet, eheu non ampliùs videndum! solus tu reluctaris? Satisnè humanitatem, & cognationum jura consuluisti? an tibi potiores barbari, quàm plena pietatis, & amoris nomina, Parens, necessarii sanguine conjuncti? Nam quid est causæ, cur ad illos tot pelagis, terrisq;, (nam toto orbe divisos) ita festinas, tantùm non evolas? ad stirpem nobilissimam ad tribules tuî cupidissimos, nè repere quidem, aut passum movere constitutum tibi est? Illi fors

ſan cruces, flammas, insidias, mortesq; parant, quibus ſalutent advenam peregrinum; in conſanguineis ædibus ſecurum caput compones. Omnia hìc deſiderio tui flagrant, cruciantur, penè exanimantur tædioſa expectatione. Decipies vota, ac ſtudia, quæ concitaſti ſperato adventu. Non patiar cariorem tibi colluviem populi, projectas in flagitia, & dedecora animas, turpes utiq; labes, fæces, ac ſterquilinia fædarum mentium, merasq; generis humani peſtes: nam vix homines dicam. Hos enim ultro veſtigas, horum te inſinuas conſortio, defecta periculoſis ægritudinibus corpora, projectæ valetudinis, non tam mortales, quàm ſpirantia mortis ſimulacra non horres: ulceribus etiam deformes convenis, hæres illorum calamitati, & perpetuo funeri inter vitam. Diceris enim ſuppuratum ulcus lambere, & putidum vomica tabum exſugere. At domum tuam, non piacula fædarunt, non obſcuritas vitiavit, non ulla ægritudinum contagio pervaſit proſtravitq;. Sanè non humanitatem duntaxat: ſed hominem exuiſſe, omnesq; naturæ leges videris convulſiſſe. Eridanus per tot terrarum ſpatia devolutus, in Adriaticum, Danubius hauſtis ſexaginta amnibus in Pontum ſe recipit, Hydaſpes, Parthos & Medos per-

vaga-

vagatus in Nilum, Nilus mutatis toties re-gnis, alveis, & nominibus, tandem in ma-re aufugit, seq; demergit. Minores etiam fluvii in Oceanum velut in natales sinus, maternumq; gremium se præcipitant. Tu FRANCISCE, sic pelagus, sic peregrinos flu-ctus ingrederis, ut unde exieras pigeat re-dire: an ipsa te flumina impietatis non ar-guant?

Nunquam altiùs consurgimus, quàm ubi humani affectus è pectore excussi sunt, & jura, quæ mollis indulgentia vocavit na-turam, infra DEUM jacent. In eodem ge-nere ponendum est, quod contra se ausus pene hostilia, corpore uteretur, tanquam mancipio. Imò cui tam crudum est super-cilium, aut sæva dominatio in subjectos bello, ut in se fuerat FRANCISCO? Quæ e-nim illa atrocitas sancta, ita in artus inno-cuos sævire flagris, ferreisq; punctis, ut si hominem in se extinctum iret? sic umbram corporis veriùs, quàm corpus inediis do-mitum, præfractum labore, adstringere vin-culis intra saniem, ac vulnera latentibus, tanquam perpetuò se in triumpho circum-duceret gloriosissimus victor sui? Quid op' erat catenis XAVERI? cùm nec à blandi-tiis retrahi, nec ad amores cæli, quibus te penitus illigaveras attrahi oporteret? An-

enim libertas animi foveri non potest, nisi inter atrocia, nexusq; durissimos? Nec ista satis erant supplicia. Vt se patientiâ nutriret animus fortis, perpetuam ferè abstinentiam fecit delicias, & inediæ tolerantiam, vertit in pabula virtutum. Si ceres, si aqua palato permissa est, erant cupediæ; interim expleri DEO, & inter ambrosias cælestes heluari, lacrymis deinde, & longa precatione pascere jejunia, voluptas unica, & sacer luxus. Quid deinde! sui penitus obliviscebatur, cùm DEI tantùm & salutis publicæ meminisset. Vt enim omnia verterat in supplicium sibi, quæ cæteris ad voluptatem migrant! ut quæ aliis videntur supplicia, illi in delicium abierunt! Dies non clepsydris fluebant, sed sudore, quem expresserant viæ, labor apostolicus, & flagrantissimum cum cælo commercium. Nocte, quàm brevis & parvus somnus capiebatur, ut cælestis ille cùm cælo dissentire videretur? Sol condebat se, & dies emortuus, quietem offerebat animalibus: ille tenebris, & nocte usus, patri luminum præsentabat animum, & se inter umbras dignum fingebat DEO, id est lucis filium. Solent equidem, qui sole neglecto, ad faces, & cereos vivunt verius parentant sibi, ordinem lucis, noctisq; pervertere; sed contra na-
turam

turam vivunt. Ille præpostero quidem ordine, noctes exigebat, sed ut omnia conferret in usus animi, nihil, aut tantillum in corporis. Si quis ista, cæteraq; his affinia, mente evolverit, non ille XAVERIUM aliti paradisi (monocodiadem vocant) quàm homini similiorem dicat? ferunt enim volucrem hanc, sic dedignari terrena, ut nunquam humi consistat, sed in sublimè evecta, semper purissimâ cæli supremi aurâ pascatur, & gaudeat. Nempe & XAVERIUS supra naturam se evexerat, veriùs in totum ab illa desciverat, dum humanæ imbecillitatis necessitates, sic excuteret, aut superaret, quasi ignoraverit.

Attamen animi magnitudo luculentiùs detexit FRANCISCUM, quantus esset. Retusæ mentes in angustas cogitationes, atq; consilia, se damnant ipsæ, nec audent, à timida humilitate excidere, si adversorum species occurrat. Quantis continuò terrorum exercitibus oppugnatur animi egestas? Et somniis, quæ veros mentiuntur casus, mens terretur: & sensus ad sua damna vigilant. Antequam humeros supponant oneri, succumbunt. O angustias pectoris! ô animas languentes! FRANCISCUS (fidem superûm!) qua magnanimitate aggressus est, qua constantiâ pervicit omnia, ut ex duris tan-

tùm animos fortiores sumere, pericula alere animum ingentia volventem, difficultates acuere industriam viderentur. Postquam enim humanæ sortis semel excessit fastigium, mens erecta, nunquam dejecta est ex illo culmine. Quidquid Oceanus, àér, terra, terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum, objicerent, fractum atq; domitum est virtute. Nam & tyrannos vicit, & crevit malis, itâq; adversorum usus ad ingentia, in augmenta laudis Divinæ vertit odia, calamitates, & quidquid sub nomine mali grassatur. Auget titulos magnanimitatis; quod nulla vis transversum abstulerit. Dum omni solatio privaretur, induebat majorem animum. Nunquam submisit se; immò stabilem fixit gradum, ut quidquid onerum supra caderet, nullo impetu conterritus, sustineret. Referamne superatas tot pelagorum, fluviorumq; furias? lustratas tot terras, ac provincias, ut sol plura vix regna, & populos à cælo suspexerit, quàm XAVIER adierit terrâ mariq;. Penetrari Oceanum, ac regiones à variis scimus; sed hos libido habendi opes peregrinum in orbem mittit; illi mentis inquietudine agitati, ventis & pelago credunt animam, ut curiositas perlustrent omnia: pleriq; onerarunt maria, classibus, exercitu, ut bella veherent

ad transmarinos. Sic felicem illum prædonem orbis, non tam venti, quàm cupido subjugandi regna, peregre jactavit. * Brutus Celticos, Lusitanosq; & omnes Gallæciæ populos, formidatumq; militibus flumen oblivionis adiit, peragratoq; victor oceani littore, non priùs signa convertit, quàm cadentem in maria solem, obrutumq; aquis ignem non sine quodam sacrilegii metu, ac horrore deprehenderet. Sed Romanis populos, sibi gloriam quærebat armis. Constat, Annibalem mari, & ipsis rupibus gravem, veluti fulmen per diversa gentium, terrarumq; volitâsse. Pompeium Armenios secutum, sub orientem, in septêtrionem Scythicum Colchos, mox in meridiem verso agmine Libani, Syriæ, Damascíq; fines transgressum, per nemora illa odorata, per thuris & balsami sylvas (ut mittam alia) Romana circumtulisse signa; sed per omnia decus, & nomen, & titulos, Cnæo sua fortuna quærebat; ille tot regna pervagatus est, ut orientem & septemtrionem ruinâ suâ involveret, cum Romam nequiret. Addo, sic illos protrivisse tot terras, sic enavigâsse tot maria, ut cum eis suæ voluptates quasi Satellites abirêt. Nam ita iverunt per terras, ut domos ambulatorias

* Florus l. 2. c. 17.

rias circumducere, ita fluitabant per maria, ut cum iis urbes aquatiles, omnesq; deliciæ navigasse viderentur. XAVIER comites ærumnas secum devexit, suæ tantum patientiæ, & supremæ illi providentiæ relictus. Regna quidem agitavit mente, & subegit; sed DEO. Imperatoribus illis plurima quies, ac deliciæ in castris, & vitia pacis non modica, dum miles periculis agitaretur. XAVERIO quanta ubiq; egestas? quanta asperorum pugna? attamen

Serpens, sitis, ardor, arenæ
Dulcia virtuti. Gaudet patientia duris.
Latiùs est, quoties magno sibi constat honestum.

Quodsi Duces etiam discrimina subire, & fame, sitiq; premi contigisset; ambitio nutriebat constantiam spe gloriæ, satisq; præmii ducebatur fore, si notitia fortitudinis ad posteros manaret. Iam FRANCISCUS, dum ageret famæ buccino cantanda, hos duntaxat titulos appetiit, nesciri. Hoc illi trophæum immortale, DEI gloriam latiùs proferri: hoc decus, verum Numen, à plurimis, & nosci, & adorari. Nec ignotum est militares animos ruere in pericula, in vulnera, in mortes; sed hos quoq; stipendiarios mortis raró virtus, aut amor publicæ rei fecit: auro acuitur ferrum, stipendiis, bel-

lici

* *Lucanus lib: 9.*

lici spiritus incalescunt. Virtus ad hæc quæ sub casside incanuit, expectat vacationem armorum, ut quandoq; jam veterana respiret. Quanto gloriosius erat, Xaverii nec alacritatem obtundi, nec mentem, licet enervato corpore, languere, at ne quidem hebescere acres impetus; huc autem ferri vota, ut semper obsisterent adversa, quæ semper vinceret, nulla spe præmii proposita. An enim fiducia titubavit unquam? duræ virtutis amator expectavit semper votis majora modestis, spesq; suas laxavit animi magnitudo. Iam quadraginta millia idolorum manu sua prostraverat, jam tot monstrorum victor, per exercitus Deorum expugnatos, pede triumphali incedebat, ut ultra homines consurgeret; adhuc quæ superaret orci monstra, quærebat virtus irrequieta. Iam pæne fluvios exhauserat, postquam duodecies centena millia sacro fonte eluisset; sitiebat tamen populos, sitim excitante igne cælesti, nec non ardore publicæ salutis. Ibat per arenas Libyæ toto sole torridas: sibilabant monstra, quorum Africa parens est. Ille majores æstus pectore magnanimo ferens, solem vix sensit: armatus DEO portenta nequicquam exhorruit. Citiùs bellator ille unius hydræ conspectum expavisset, quàm hic omnium, vel stygiorum.

Equi-

Equidem temeritas audendi, vel incogitantia, aut si vilis mortis anima sit, persæpè in nomina viri fortis impingit; cum & gladiator desperanter in arena sanguinem effundens, & perditæ audaciæ verna, quem præcipitatio in mortis contemptum impulit, viri fortes dicantur. Nec deerant tam angustæ mentes, aut qui humano tantùm palmo, metiuntur omnia, aut illi, quorum amorem, & solicitudinem integritas Xaverii agitavit metu, ut heròëm DEI, vocarent in temeritatis contagia, quandoq; præcipitem consiliis judicarent, interdum crederēt nullo judicii negotio ruere in discrimina. Quid? non audentia nimium tumultuosa, minusq; consulta exerebat se, dum contra armatas Badagorum copias, qui recenter natos Christo, in ipsis veluti cunis præfocare nitebantur: ille autem solus quasi castra emicuit in aciem, & quem juxta pectore, ac manu gerebat Christum, opposuit hosti! dum tigrides infesto agmine, plus quàm hostiles catervæ per vicos, & oppida furorem belluinum circumferebant, & cùm illo metus, ac damna ibant per populos; Xaverius, cùm omnes metuerent, unus, constantiâ DEOq; armatus processit, loco telorum ferens benedictum fontem? Non etiam tunc præcipiti conatu grandia moli-

rì

ri putabatur, dum inscius idiomatis peregrini, morisq;, tremendorum solia Regum adit, & superbos Principes opprobria numinis docet, si voces deeslent, nutu vel interpretum ore? dum mystas perinde tumidos, ac falsam sibi scientiæ persuasionem induentes, in regia, Principe auditore, atq; arbitro, in doctum certamen elicit? dum non expectatis pelagi otiis, turbidum mare, & fluctuantem carinam ingreditur, remos imperat, secundos pollicetur ventos, cadentibus animo nautis magisq; formidine jactatis, quam maris tempestate, solus concipit spiritus generosos, metum excutit, & moras? dum nullo, qui ripas jungeret, interjecto ponte, trabem obviam, aquis, fu-rentibus injicit, seq; non tam flumini committit, quàm morti paratæ? dum multis, prope infinitis, quæ fieri posse ab homine contractæ mentes negabant, quasi non homo operam impendit? Hæc, cæteraq; temeritatis notam non contraherent, si alius mortalium attentaret? revera autem ratio momentis librata æternis virum in durissima concitabat, mox constabat impossibile haud esse, quidquid Xaverius attentaret, aut certè oportere hominem esse ultra mortales, qui ausibus Xaverianis æquare suos contenderet. Nam & Badagos vultu cæ-

leste

leste aliquid spirante, crucisq; simulacro sic in fugam egit, ut si fulminaret; & tigridum furias, ad sua cubilia coègit, imò tanquam cassibus involvit, & tumentes Regum animos sic modestia demulsit, sic magniloquentia & rationum momentis inflexit, ut non tam suadere videretur, quàm imperare. Tribus, ut Regi crucifixo coronata capita submitterent, & unda tingerentur baptismali, persuasit; alios, quibus caligo mentem, aut fœdæ voluptates vitiaverant, huc induxit, nè subjectos sibi populos legi Christianæ subjici vetarent. Quid deinde? sacrificuli quos error fascinavit, malè pudorem Tartaro; quibus autẽ pretium erat veri, se ipsos vero numini victimam litaverunt, se totos rem Divinam fecêre. At ducenti, quos provocaverat, Bonzii; unus XAVIER in arenam descenderat! Superatâ hominum contumaciâ, faciliùs erat aquarum superare, atq; in procellis ut in malacia, in aquis, tanquam in solido versari. Quòd autem nunc obviam iret malis, nunc terga daret vir impavidus; utrumq; pulchrum, & magnificum. Pectus objicere fatis, magnanimæ fortitudinis est: pedem retrahere, & tantillum cedere adversis, prudentiæ. Quòd deinde inter luctus abirent dies, quòd sine somno tristitia consumeret noctes, quòd ge-

mitibus largis, ac suspiriis pectus concuteretur sacrum, quòd deniq; vario se atrocitatis genere mæror exerceret; cum hi flagitiis onerati, nomen Christianum polluerent, illi alta errorum nocte obruti, ad solem veritatis cæcutirent; nomina viri fortis inter lacrymas nullum passa naufragium. Virile erat. Nihil suspirii de pectore, aut lacrymarum ex oculis formido extulit. Non sua pericula mærorem irritabant: aliis metuebat, securus sûi. Stratagema crede amoris, & gigantomachiam pietatis. Habemus intrò officinam armorum: est in oculis telorum incus, aut vena. Suspirio DEUS oppugnatur, lacryma triumphat. O animum nec prosperis mollitum, nec fractum adversis! ô hominem ultra homines! ô virum cælitibus magìs similem, quàm terrigenis!

Est tamen maxime Xaveri, quod objiciam fortitudini tuæ. Hìc ille animus virilis est, deliciis, quæ à cælo dimanant, succumbere, pænè exanimari? Pelagi ærumnarum, quibus innatas, te non obruunt; obruit gutta cælestium voluptatum? cruces, ignes, omnia tormenta esuris, sitisq;, & cùm plurima crudissimè tolerantiæ bellaria abligurit, inexplebilis ferendi constantia, adhuc heluo durissimorum ampliùs, & amplius

pliùs in saginam magnæ virtutis etiam mortes sic appetis, ut intra voluptates patiendi, irritata asperis patientia, modum ignoret. Cupedias à cælo missas vix libet attingere! nihil in eis de Circes poculo: divinum hic bibes philtrum. Crede rudimenta voluptatum, stillam delicii. Ergo pelagus illud solatiorum, quod cælum apparat, feres? Sic accipite Auditores: dum XAVERIUS omnes prope amarores absorberet, divinus amor Sanctissimo cordi sese infundebat, ut fel illud, illud virus dilueret. Mirum dictu! FRANCISCUS semper affixus cælo, & tanquam necessarius DEI, hîc cum cælo potuit dissentiri. Nam victor ille asperorum animus, & tantùm calamitatibus innutritus, dum ambrosias cælestes prælibaret, illico proclamabat: *Satis est.* * Novi me lactentem esse uberis divini: prægustare possum, non possum pleno ore bibere lac cæleste. Quidquid amari est exhauriam. Palatus hic assuevit talibus acuo sitim in æterna.

Postremò dum animo ingenti supra naturam se XAVIER porrexit, restabat, ut XAVERIUM excederet. Quid hoc portenti? supplex procumbit in terras cum voto, & precationibus, tantùm non infra telluris viscera, aut cavernas inferi, se deprimit mo-

de-

destia. At ecce non animo duntaxat occurrit cælo, nec sola mente DEO, divisq; se immiscet: etiam corpus in àërem libratur, penè subvolat in regiam Divorum. Aliàs dum tingit lustrali fonte innumeras gentes, visitur gigantis mole in àërem porrigi, & ultra XAVERIUM tendi. Sic Divinus Vir extra se ibat, utiq; se ipso major, ut, cùm à nemine superari posset, excederet se ipsum.

Dum hæc delibo, dum plura sine numero, non sine gloriæ jactura prætervehor, fatiscit Oratio: ut constet, FRANCISCUM tam esse supra Oratorum ingenia, quàm est Homo supra homines, id est Vir ingentis naturæ, qui in cælum possit meritissima prædicatione levari: par Apostolis, à maximo non degener Parente IGNATIO eiq; simillimus, cujus majorem plurimo terrarum orbe gloriam circumferebat. *Dixi.*

ORATIO QVINTA.
DE B. STANISLAO KOSTKA S. J.
Pulcherrimum, naturæ, fortunæ, & gratiarum certamen.

SI spatia vitæ, quam STANISLAUS non

 satis

ſatis decem, & novem annis implevit ad calculum revocemus,pænè non vixit: quodſi autem magnitudinem geſtorum cum annis conferamus, ætatem ultra cenſendus eſt proceſſiſſe. Ita enim cæli muneribus auctus eſt, ita animum inſtruxit virtutibus, ut præcox adoleſcentia canos induiſſe, contrà plurium veterana tàm ætas, quàm probitas, illi comparata in pueritiam redire videatur. Quæ enim illa cæli indulgentia, dum formatur, dum inſtituitur KOSTKA? omnia è ſinu gratiarum videtur non tam delibâſſe, quàm rapuiſſe. Primis eum naſcendi felicitas inſeruit ſtirpibus? Sed primas præcepit gratia. Toto apparatu incubuit natura, ut decorum Iuvenem, & dignitati natalium concolorem exhiberet, ſed ampliſſima ſint licèt hæc omnia; tamen infra Superûm munificentiam ſerpunt. Quidquid enim à fortuna ſublime, venuſtum à natura fluxit, totum id gratiæ, quaſi hoſtiles ſuperârunt. Sed ne aut felicitati contumeliam, aut liberaliori naturæ conciliem probra; concedo STANISLAUM in ſinu fortunæ eductum eſſe, atq; enutritum, concedo naturam illi plùs ſolito indulſiſſe; idcircò reliquum eſſe, ut demonſtrem de uno KOSTKA, & naturam, & fortunam, & gratias omnes contendiſſe. Sed ne ſine lege

va-

vagetur Oratio, idem fere dicendi erit ordo mihi, qui Iuveni Sanctissimo vivendi Vtra vicerit, Tu Magne Auditor decernes.

Ita se in STANISLAUM benignè gessit fortuna, ut propè deliquerit excessu, dum nimis affundere opes, latissimè nomen, & stemmata proferre, celsissimè honoribus attollere, & tantùm, non cælo permiscere consanguineum genus, pergeret. Nemo autem existimet tumida narratione provehi laudationem, dum KOSTKARUM genus, alto à sanguine Divûm strictim insinuo. Quid enim speciosiùs est, quàm nasci decorè, divitiis, & avito nomine cumulari, tandem fortunæ munera, virtutibus emendare, & sicubi ferociat, eminentis ambitio, impetum frenare pietate, edomare modestiâ? Sed poteritne avitare stylus, quæ fatorum clementia per tot sæcula, & fasces, & honorum fastigia deduxit? Poterit sanè, si KOSTKARUM familiam vasti instar fluvii, cujusdam, ùt est in Europa Danubius, Nilus in Ægypto Asiæ, Africæq; regione; deindè instar Centauri, vel cujuspiam vastissimæ classis, animo concipiatis. Vt enim Danubius in jugis Abnobæ natales fontes, & incunabula sortitus, per Alpes, quasi Annibal se penetrat, tum pluribus sensim fluminibus supra modum crescit: postquam vero

rò ſexaginta amnes ebibit, Illirico ſe infundit, & jam ex Danubio Iſter eſt. Tandem tot fluviorum parens, & quoddam cubile, ac receptaculum ſex fluminibus, pontum ſubintrat, in quo & ſe, & ſua nomina amittit. Aut quaſi fluvius ille, cui ſuas meſſes debet Ægyptus plus quàm cælo, & nubibus, totidem penè cognomina vehit alveo, quot plagas irrigavit. Nam alibi Mele, Geon alibi, aut Nigris vocatur. Mox circa Meròén ſimul divortia diſſidentium aquarum, ſimul ſibi varia facit vocabula. Siquidem Aſtabores à læva, à dextra prolabens Aſtusapes nuncupatur. Tum primò, poſtquam diſſidia diviſarum aquarum in unum coaluere, Nilus eſt. Brevi magnitudo in diſſidia vergit, paritq; diſcordiam ingens affluentia. Quippe in ſeptem oſtia ſe expendit amnis, ſed jam minor, Nilus vocari deſinit, Tum ille Princeps fluminum, fæcunditatis ille parens, in mari patitur naufragium. Sic domus hæc per omnes pænè honores ſe provexit, à faſcibus, ad faſces, ab honoribus ad honores, favoribus cæli Principumq; quaſi ventis jactata, donec ad portum conſiſteret, & de tanta evaderet nulla.

Quis enim Kostkarum inclytum nomen ignorat? niſi qui tam extra ſe, quàm extra annalium notitiam vivit. Domus hæc

Polo-

Poloniæ coæva eſt, imò ipſimet nobilitati. Nam Autor nominis tanti ex Illyrico delatus eſt cum Lecho, ſic autem, ut eum non probra, & aviti nominis ignominia, ſed eadem, Lechum decora comitarentur. Quo nomine, ac ſtemmate cenſeretur, incertum eſt. Ruditati ſæculi illius, ùt cætera, id quoq; imputamus. ſed virtute, quæ in poſteros etiam diffundi poterat, plus erat, quàm ceris, & quibuslibet titulis clareſcere. Accipitrinos initio dictos domeſtica innuunt monumenta. Mox Rege Boleſlao Chrobri, Boleſtas, ob Sereniſſimam (niſi me fallit opinio) cum Regia domo affinitatem. Tandem pietas cælo, DEOq; addicta novum illis peperit cognomentum: ut abrogato veteri vocabulo, Pobogij dicerentur. Circumvecta eſt iſto ſub nomine per actorum immortalitatem, per honorum ſumma faſtigia, interq; decora adolevit familia: donec Boguſlaus Pobog de Rostkowo, Dux perindè ferro, ac nomine tremendus hoſti, à Sylvis, quæ magno Heròi palatium erant, quoad vinceret Iazwingos, Dąmbrowa diceretur, & ſoleæ, quæ duntaxat Pobogiis Inſigne fuit, crux tergemina adjiceretur. Nimirum exile videbatur monumentum, id ſolum in familiæ decus attollere, quod equi ſub calce gerunt, niſi in ſtemmata, ac ve-

luti in familiam DEI hominis tranfiiſſet. Mox cognomine mutato, ſibi, ſuisq; poſteris, KOSTKARUM nomen induit. Nimirum generi, cui nulla ſatis eſt gloria, unum non ſufficiebat vocabulum. Profuso in plures ſanguine, multiplicatis etiam meritis, & qui inde oriuntur, honoribus multiplicari nomina oportebat. Iam iſto ſub nomine ætates plurimas, & honores, quos Polonia habet pæne omnes, fortunatiſſima ſtirps, exegit, id ſolum deerat, ut à ſummis faſcibus in ſolium eluctaretur: cùm ecce Valeſius primùm è Polonia, mox è vita abſceſſit. Tum IOANNI KOSTCÆ Palatino Sandomirienſi, virtus par orbi regendo, ſuffragium offert ad ſceptra, virtuti plurium vota conſonant. Et poterat is meliùs animi magnitudine, quàm mole corporis implere thronum, niſi maluiſſet mereri imperia, quàm admittere, diadematis contemptu, quàm ipſo diademate coronari; Stephano Batoreo, porrigere ſceptra, quàm præcipere. Quis verò cognationes ad calculum revocet? Sed cognationes illuſtriſſimas, ſereniſſimas etiam, ac etiam Auguſtiſſimas. Nam (ut cæteros mittam) hic idem IOANNES, materno genere Cæſareus eſt; quia Elebergica Imperatorum utiq; Romanorum nepte progenitus; ac deinceps quia Pater eſt An-
næ

næ in Oſtrog Ducis, tranſiit, in totidem pænè cognationum fœdera, quot Princeps, quot Reges, quot Auguſtos Europa adoravit: cùm familia Ducum Oſtrogienſium, pænè compendium ſit Auguſtiſſimæ nobilitatis, ſpecioſum quoq; fuit Sophiam Georgii KOSTCÆ Palatini Mariæburgenſis natam adſtringi Batoreo, Tranſylvaniæ Palatino: hic ex Fratre Stephani, nepos, cujus humero nutantia rei Polonæ fata, feliciſſimè conſederant. Paucis: in Domo KOSTKARUM nihil erat, quod non ſummum eſſet.

Sed hic magni ſanguinis (ut ſic eloquar Danubius) fatis, quaſi Ponto ſe condidit. Sed Nilum hunc tot nominum receptaculum, tot meritis, plusquam fluminibus diverſis auctum recepit mortalitas; ut diſcāt humanæ æternitates, ſummis etiam faſtigiis incubare fata, mortalitatemq; ſtare præ foribus. At STANISLAUS, etiam poſt fata, ſuperſtes vivit ſuo generi, magnoq; nomini; ut palàm foret plus ad decus KOSTCÆ contuliſſe gratias, quàm fortunam. Quis è tot Proceribus vincit, poſtquam vivere deſiit? aut quis attollitur honoribus, dùm è vivis ſublatus eſt? STANISLAUS adhuc vincit, adhuc triumphat, Poloniæ. Et honores mors (ſic eam revocare libuit) trabeata accipit; quos ille dum in vivis ageret,

 effu-

effugit non modò è Polonia, at etiam è vita. Cum inquam de illis victoribus * *restat nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam. nec jam cinis ille timetur.* STANISLAUS hucusq; Bellator est pro patria, ut constet, virtutem non esse imbellem. Ad hæc lassata prosperis fortuna majorum exspiraverat; nisi labentem STANISLAUS suscitaret. Nam de tot Quiritibus quid superest, nisi breves in annalibus periodi, stemmata in tolis, in monumentis nomina, facies, sed jam fumosæ in imaginibus, lacera in marmoribus capita, passim quoq; velut truncati sine capite, sine honore, heròés illi, illa terrarum numina spectantur? At STANISLAUS, tam recenti honore viget, ut si nunc lætiorem fortuna vultum explicaret illi, aut eburneâ curuli veheretur, aut è solio populis jura daret, Exile illud. Summis etiam arbitris livor obstat, atq; cùm orbes animo verient, suum ultra regnum, aut sæculum, quod vixerant, famâ vix abière. At Divus Juvenis citra invidiam eminet; & quà terræ excurrunt, quà maria se projecerunt, ultra Strimonem Thraciæ, Istrum Daciæ, Euphratem Parthorum, & Indiæ Gangem, trans Pyræneum, & quà jugum hic extulit suum, Thulem versùs, tantùm non

* *Ovid. Metamorf. l. 12.*

non post solis cubilia, & metas diei noctisq; sacrum nomen promittit, ut famâ præsenti omnia pænè regna occupet, apud orbem universum aras, Romæ apotheosim mereatur. Quid ultra? Avitum nomen, quod situ & squalore obsitum horret, è veterno eruit, solusq; intra honores constitutus docet fuisse KOSTKAS. Tantumnè; etiam fænore amplissimo, fatorum injuriam sarcit.

Restat, ut brevissimè exhibeam, quantùm gratiarum munera supra naturæ privilegia creverunt. Equidem hæc totas vires consumpsisse credebatur, ut ex arte venustatis ad oculorum spectaculum, ad illecebras animorum, pænè ad cæli delicias finxisset STANISLAUM. E torno Pandoræ aut venustatis penicillo prodiisse videbatur, aut Pulcheria quapiam natus. Etenim tam comi forma enituit, ut extremus naturæ sibi indulgentis conatus credi potuerit. Sic mille præ genis lepores riserunt, sic omnes in oculis Charites lusêre, sic frontem amæniùs explicatam insedit honos, sic toto corpore dignitas, cæloq; delibuta species regnavit. At lacteæ cervici infusa comæ nigredo noctem simulabat; sed animo totus meridies affulgebat. Hinc quemadmodum cæli serenitatem commendat fusca tenebrarum opacitas, sic fuligo illa decus juveni

conciliabat. Vultus candebat niveâ quadam cerussâ, hanc ingenuo rubore enatans sanguis, utiq; verecundiæ testis confundebat: risum qualem Charites habuisse credidit Parrhasius, sic exspirabant labia, ut superis KOSTKA arridere continuò videretur. Iam oculi, sidereum quiddam scintillantes, profluvio lacrymarum se corrumpebant: at hæ per intervalla, tam amænè decidebant, ut si rorem stillaret aurora, aut gemmas conciperet Concha. Interea vultus melior, omniq; simulacro emendatior, cæli amores halabat. Rarum est istud! quantùm enim Charites venustant vultum, tantùm animos plerumq; gratiæ destituunt, cùm perpetua quædam lis, ac duellum caleat, formam inter ac virtutes. Species decora faciei, & innocentia mentis, ægrè inter mortalia consistunt, facilèq; in vitia proficit fervor, quem liberalior natura compsit. Hinc tanto deterior est plerumq; animus, quantò melior vultus. Iam verò STANISLAI pulchritudo vivum erat innocentiæ simulacrum, nec ab animo suo unquam dissensit; nisi cùm decus probitatis superaret, corporis venustatem. Certè cùm mille Veneres præ genis vernarent, nulla animum afflavit. Quinimò (quod rarioris formæ delictum est) nec intuentium affectus rapiebat in illicita. Nihil

hil enim ignis ille, qui oculis, vultuq; ſcintillabat affundere poterat, quod malè ſanos amores accenderet. Potius conſpecta Iuvenis integerrimi ſpecies illicium, & fomes erat pudicitiæ; ut nemo intueretur STANISLAUM, cui non ſimul placeret virtus; quaſi is non ſui foret exemplar, ſed innocentiæ. Exiguum erat in vitia non patuiſſe; niſi animus probitate ſic exſurgeret, ut parùm abeſſet, quin nimiæ virtutis accuſaretur, dum non tantùm non impegit in flagitia Iuventutis, at nè quidem didicit ea, quæ laudabilius eſt ignoraſſe, ſcire nefas, patrare exitium. Quinimò nec poſſe agere videbatur, quidquid agere non deberet, unus ille LUDOVICUM Galliis, ALEXIUM Romæ, HENRICUM Imperio, STEPHANUM & EMERICUM Pannoniæ, CASIMIRUM Poloniæ poterat exhibere: aut certè omnem in ſe (tanta erat victoria humanæ imbecillitatis) hominem perdidiſſe videbatur, cùm optimum hominem formaret.

Nonnè hæc univerſa argumento ſunt, gratias naturæ præcepiſſe palmam? meliùsq; animum KOSTCÆ ab iis, quam ab iſta facie effomari? *Dixi.*

ORA-

ORATIO SEXTA.

EQVES POLONVS
& labentis Poloniæ Fulcrum
B. STANISLAUS KOSTKA S. J.

TRiplici orbe divisus, omnem implevisti Dive Iuvenis; quasi multiplicatus ad publicæ felicitatis commoda, ad terrarum salutem, ad Cæli decora, etiam post funera spirares. Et potes ubiq; esse maximus, quamvis nec ætas, nec tituli, quos abjecisti, magnum fecerint. Nimirum, exquo ingens animus cælo se intulit, adorat Tuos cineres Vrbs illa, quæ ùt Caput est mundi, ita à mundo adoratur. Roma ergo illa, illa rerum Domina, Tuos adorat cineres, quæ cælo tantùm se inclinat. Natalis quoq; Polonia Civem novit suum, etiamnum, postquam in cæli, Divorumq; coloniam transcriptus es. Caput (nam istud duntaxat inter secreta regni pignora recensetur) tanquam aram consilii, veluti senatum, publicæ felicitatis consultorem, meliùs, quàm olim Numa Pompilius, Ancilia, vel Palladium, Ianumq; geminum, & Focum Vestæ, caput (inquam) an triumphale potiùs Capitolium conservamus. Istudne tantùm? etiam manus videtur porrexisse suam in pa-

triam

triam Stanislaus, imò ſpiritum, qui ſe per cæleſtes aulas, ſtellatamq; regiam jactat, ſubinde in Poloniam revocare. Quid enim? Vrbes flammis uruntur? ille vocatus in ſuppetias advolat, incendia nocitura opprimit; quaſi totum ſe effunderet in commoda contribulium. Mirum hoc! flammas ille, tantùm non Ætnam ferebat olim pectore; nunc ignium eſt Domitor. Lue peſtilenti afflantur Provinciæ? contabeſcunt populi? ille citiùs, quàm poſtuletur, adeſt; quaſi vitæ Arbiter contra mortes pugnat, decernit. Fatis agitantur populi? Contra fatorum inclementiam, contra iras cæli dimicaturus, è cælo ſuccurrit, tanquam arctiore tunc vinculo adſtringeretur Poloniæ, quàm polis. Bellis concutimur: ille quaſi avitum Martem adhuc ſpiraret, totoq; ad duella animo incaleſceret, deſcendit in arenam, pietate in patriam cataphractus ſuis, & Crucibus, & Soleis inſtructus, pro Polonis dimicat, vincit, agitat triumphos. Quocirca inuſitato laudationis genere, ac veluti profano utar, cùm D. Kostkam, non modò labentis Patriæ Fulcrum, at etiam Bellatorem, breviùs Equitem Polonum demonſtravero.

Nunquam Divi, quos cælo tranſcripſit pietas, noſtrî oblivia hauſerunt; quia neq;

Le-

Lethem hauriunt. Fabulis hic pluribus exundavit, quam aquis. Corpus exuerunt, non curam publicæ salutis. Militant pro terris, dum astra incolunt, ut se probent, & cæli municipes, & terrarum genus. Quare KOSTKA etiam meminit se Equitem Polonum, meminit Tribulem esse nostrum; siquidem sua pro Polonia toties pugnat, quoties in suppetias votis, lacrymisq; conducitur. Nec pugnare potest, quin vincat, triumphet. Dubia Martis alea est, dum soli terrigenæ dimicamus. Quoties superi ad classica convolarunt, simul ad bella itum est, simul ad triumphos. Ita ille, etsi non vivat, vincit! At etiam dum spiraret in humanis, prælusit victoriis hisce, vincendo se ipsum, voluptatis lenocinia, fratris odia, Parentis & minas, & illicia, ac demum quidquid mundus est. Imò priusquam Turcam, Tartarosq; debellaret, Tartarum profligavit. Necdum crepundia puer exuerat, jam virum induerat mente, virum, non qui superat ferro, à vitiis superatur, ùt quondam Annibal; sed quem nec Capua molliret blanditijs, nec Sybariticæ frangerent voluptates. Fortè ex incesto lenonum ore, putidi, & malè olentes joci vomebãtur: quod hic STANISLAO scutum? pudor forti, etsi Virgineo rubore armabat vultum contra impudentiam;

am; Kostka verò in terram, quasi exanimis ruebat, & tantùm sic in lubrico hoc labi poterat. Debueras tunc in cælos subvolare, integerrime, terrisq; altior Anime; sed ut terrigenam te palàm faceres, casus hic in terram placebat. Vicisti, vicisti! sola hìc aut fuga, aut talis triumphat ruina. Profligatis lenonum insidiis, expeditum illi fuerat vincere erumpentes ex orco hostes. Et vicit etiam tunc, dum æstu febrili vinceretur, atq; jam prostratus fatisceret. Nam infestissima inferorum bellua sese infert, oculis scintillantibus, rabido ore, faucibus mortes mille hiantibus, totus undiq; orcus, & omnes furiæ prorumpunt. Canem mentiebatur: & credi poterat Cerberus, nisi pauciora capita cervici incubuissent. Ter latravit, totidem vicibus torum languentis aggressus est. At Kostka digitum vix movit, crucem vix efformavit, illico cruciavit, fugavit hostem. Totum sic profligasset Tartarum, si totus erupisset. Tantum erat, armari innocentiâ! Fratrem quoq; superavit minacem, ac ideo sibi infensum, quòd cælo virtutiq; infensus vivere detrectaret. At quo per fidem telo? nunc lacrymis, nunc risu, subinde silentio, aut quod contra æmulos validissimum est tormentum, tolerantiâ, nec non dissimulatione. Restabant furores

Pater-

Paterni, & minæ, & his fortiores: quia naturâ insiti amores. Omnia hæc, pagina dirarum, & affectuum plena vexerat. Crimen erat, criminum illecebras effugisse, ac inter piacula reputabatur, DEO penitùs adhæsisse, probitatiq; Sacramentum dedisse. At sui victor, ita in paternum pectus, in sanguinis jura, in domûs claritudinem delinquere, maximæ ducebat pietatis. Credebatur maximus fore triumphus, si inter trophæa, iras quoq; paternas deduceret. Hæc STANISLAO spolia, plusquam opima, se exspoliâsse opibûs, patria, demum plenis illecebrarum nominibûs, parente utroq;, spolia Romano digna Capitolio! Hoc ergo imbutus est bellandi tirocinio STANISLAUS! ista præludia magno Iuveni (ut mittam cætera) ad victoras! hæc auspicia triumphorum erant!

Iam cruda bellorum imago, gentesq; in mutuam cladem armatæ, sese ingerunt, non tam Orationi, quàm oculo. Inde mihi Daciæ, Podoliæq; fines, barbaris mortibus, funestari, sed pluribus victoris Poloni trophæis insigniri se effundunt. Video spectare Berestecenses campos, & in illis rusticum Martem, arma rebellia, & detrectantem dominis parere servitutem. Vienna quoq; totis turribus exsurgit, & tantùm non

non exaudiuntur tonare, atq; omnia permiscere bellica tonitrua. Passim campi, castella, urbes, machinis militaribus remugiunt, & ubiq; victor STANISLAUS emicat. Quid enim? repeto Chotimum, Cannas Turciæ. Annis abhinc 92. illud * *terrarum fatale malum, fulmenq́, quod omnes percuteret pariter populos & fidus iniquum gentibus.* Mustaffa Thraciæ Tyrannus, Poloniæ finibus, sine numero, non sine rabie copias infuderat. Et timendus erat: totum enim Orientem, totam Asiam, multam, ut nostris etiam viribus periremus, Europam, tantùm non Orcum, & Furias armaverat; quasi ad orbis universi fata venisset, non ad unius regni exitium. Et verò præcisa cervice, caput, cor, tota vita exspirat. Expugnatâ Polonia, bello, ac fatis inclementibus, in cæteras Provincias iter est. Actum erat de mundo. Adeò non humile scelus meditabatur, ingeniosus scelerum auctor! Nec animus hosti deerat, nec furor; furorem vires adjuvabant; ut dubium foret, magisnè ferrô, an furiis instructa rabies insaniret. Ad hæc militem opposuerat cladibùs, & prædâ tot terrarum saginatum, qui & stipendia multa meruerat, & innumera erexerat trophæa, cui tam occumbere post victorias, quàm

* *Lucanus.*

vincere gloriosum foret. Veteranis cohortibus addita sunt arma tironum, ut non vile victoriarum rudimentum, à Poloniæ populatione auspicarentur. Verbo; non ignavus hostis, in certamen nos eliciebat; prædo orbis superandus erat.

Quodsi post viros, animosq; spectes apparatum belli, nihil deerat. Nam tormentorum tanta erat multitudo, ut terra gemeret ferendo, tanta pulveris nitrati copia, ut toti cælo nubem parere posset. Tam ingens æris, aurichalci, ferri, stanni, plumbi, congeries, ut universa tellus eviscerata esse videretur. Tam affluens annonæ ubertas, quasi alere vellet Europam, non oppugnare. Apparatui addit⁹ nitor, & opulētia ferro quasi non minùs armis ferire, quàm armorum fulgore perstringere, everberare oculos, & mentem, in voto esset. Fulgebant tentoria, tanquam arderent, domus è sericis laboratæ nitebant, tanquam urbes secum veheret, urbium populator: ipsi etiam bellatores discolori vestitu ad luxum usq; micabāt, quasi ad Hymæneos venissent, non ad prælium; divitiis quoq; tumentes, gazæ superbissimâ opulentiâ jactabant aurum, argentum, adamantes, uniones, cæteraq; fluminum & terrarum spolia, tanquam aut mercari, aut ditare Europam, Europæ præda-

dator vellet. Ad hæc bellico horrori deliciæ se miscuerant. Crederes Capuam suo cum Annibale mediis se castris invexisse. Molles tori tumebant, vernabat mobilium hortorum voluptas, tenebantur caveis, non visæ hàcten' à nostro milite, & auguria garriebant ominosæ aves. Ita barbaros furores, per omnia diffuderat oriens! ita in partem flagitii cuncta solicitaverat elementa, ut naturam redderet nocentem, dum Poloniæ nocebat, omniaq; peccarent ad ausum Turcæ, ad nostram calamitatem. Et peccassent; nisì delinquentium elementorum crimen interrupisset gladius Regis, atq; à patrando scelere naturam absolvisset Auxiliaris KOSTKA. Non eò spectant, quæ memoravi, quasi vel Heroas deceat in bello splendor, vel formidanda sit hostium voluptas, vel arduum nostro militi certamen incumberet, contra delicias Turcæ; sed ut in comperto sit, quòd ille hostis profligandus occurreret, qui & numero, & apparatu præstabat, cui acuebat animos ad oppugnandum nos potentia, ad tuendum se opulentia, ad tractandum arma sine fastidio, deliciæ. Eandem rursus procellam in Poloniam, ac eosdem in campo Mahometus 4tus ex oriente devolverat, cum se annus 73 supra millesimum sexcentesimum, evol-

veret. Trepidabamus Poloni, tota Europa metuebat; quasi tota feriretur, dum nos agitaremur. Augebat metum fessa diffidiis, pænèq; eversa Patria. Camenecum jam à Turca tenebatur, provinciis finitimus tristis horror imminebat, postquàm ferro, igni, nuper Thracibus permisti Getæ omnia penetrâssent. Rex demum, ut augerentur regni funera, supremè languebat. Omnia in exitium unius Poloniæ fata videbantur armari. Memoremnè Viennam? at viva malorum recordatio quatit adhuc animos, & ipsum confundit stylum. Per fidem! quo belli apparatu, quo armorum strepitu, erupit ferus Oriens? bellum multo mari, terraq;, equis, bubalis, innumerarum ferarum cervicibus advexit, ut urbem, & in hac plurimam orbis partem jugularet; ut inquam, urbem, quam olim tentarat Solimanus, Mahometus 4tus expugnaret. Itaq; mænia cinxit, oppugnavit, tantùm non perdidit. Natæ ad libertatem animæ suis mænibus, quasi carcere, aut sepulchro tenebãtur; & prope erat, ut non tam defendi, quàm mortis horrorem protrahere viderentur: cum ex urbe tormenta in hostem explosa detonarent, id fiebat, veluti Perillus, aut Phalaris suo inclusus tauro remugiret. Gemere potiùs urbs, quàm jaculari credi

po-

poterat. At hostis undiq; incumbebat, un-
diq; intentabat atrocia, omnia mortibus
concludebat, & tam cum viris, quàm cum
ipsismet saxis pugnabat, adeò ut etiam ter-
ræ, saxis, fluminibus fata timerentur. Iam
voto Vinneam possidebat Asia, jam spe tu-
mida, populos tenebat. Elementa ad pia-
culum armata, suis fidem dominis non
servavêre. Siquidem & aquis innatabat fa-
stu, & spe victoriæ ebria labes Turcica,
inaccessum homini iter intra terras facie-
bat audacia, cùm tellurem consoderet, evi-
sceraret, & subterraneo lapsu ad urbis mæni-
a penetraret. Poterat credi, aut Gigantes
nasci, aut per terras ex Orco erumpere in-
fandam pestem. Aére toto eruditæ ad stra-
gem Viennensium flammæ volabant. Vi-
debatur àér ardere. adeò tota ad unius ur-
bis expugnationem natura consenserat: adeò
omnibus elementis pugnatum est in Vien-
nam. soli cælo credebatur. Quanquam
cùm erumpentes fumi è tormentis cælum
eriperent, àére infecto, cùm volatiles glo-
bi ab alto defluerent, tantùm aberat, ut in
cælo nasci furores, àére propagari iras, mi-
seri suspicarentur. Metuebat infelicitas (ùt
calamitosis omnia videntur infensa esse) nè
cælum fidem mutaret, & in perniciem Eu-
ropæ sidera conspirarent, nisi Princeps no-

ster, velut à cælo delapsus, & cum hoc Suppetiæ cælestes in subsidia terrarum allaberentur. At cuinam Boreæ vela expando? quò proram dictionis intorqueo? KOSTKAM Oratione insector, interim tumultus, classicum, ferrum, bella, mortes funestant dictionem, & plus barbari cruoris profunditur, quàm elogii. Nè mirere Auditor. Polonum Equitem, STANISLAUM nuncupavi? idcirco arma strepere, æstum belli fervere, procellam sanguinis exundare, necesse est. Adeò nec Divis licet tranquillis esse, si sint Equites. At verò STANISLAUS ad bella, quæ recensui, commilito emicuerat. Quid enim? Chotimensibus campis se, & prælia Mars intuderat? aderat KOSTKA, & belli robur, & arbiter (ùt magnum est in periculis præsidium innocentia) victoriæ. Etenim Sigismundus, dum potentia hostilis hinc invalesceret, impares inde copias opponeremus armato orienti, socium belli STANISLAUM, regalibus, & votis, & lacrymis conduxit. Ad hæc caput tutelare, à summo terrarum Capite, cui nec Divorum capita subesse dubitant, postulavit. Quot miracula ad unum bellum? Ante Principis adventum, exigua, quæ tunc se objecerat Polonorum manus, decies conflixit, & decies fregit hostem, tanquam is ad necem-

dun-

duntaxat rueret, non ad pugnam; nos verò ad triumphos. Cùm verò Princeps admoveret proximè exercitum, terror ille mũdi territus est, illud fulmen, fatum illud Populorum abscessit. Sine numero in Poloniam defluxerat: pacem mercatus facilè se numeravit. Imò pallidæ, strigosæ, mesti prostratæ exercituum reliquiæ vix poterant numerari; dum velut umbræ, aut mortis horrida simulacra se efferrent. At credite, non viribus nostris ruina hæc constata est. Clades è ferro, irritamentum irarum, & fax atrocioris belli fuisset; nisi Rex, unicum fessis rebus auxilium, KOSTKAM assumpsisset. Patriæ finibus invectum caput D. triumphale fundavit Capitolium. Nam eo tempore, quo pignus venerabile accepimus, statim consedit hostilis furor, totus excessit Oriens è Polonia, tantùm non è vita. Ita non secus, ac præsenti Tibi STANISLAE innixus est Princeps, se Patriamq; sustentans. Tuo capite, Tuo robore invaluit. Imò antequam inveheretur illud victoriarum auspicium caput, priusquam ferro decerneretur, victoriam vexisti, ac triumphos, pleno & sinu, & curru. Non ignota refero. Carpentum cæleste àëre super visum est, primò radiare, mox provehi. Totum plurimo ardebat cælo: temo

sidereus, ac rotæ, quadrigæ etiam flammas cæli efflabant, ipsa lora ex altris fusa videbantur. Et talis apparatus decebat plaustrum, quo non humile pondus trahebatur. Nam ferebatur Verbi Parens, ac virgineis ludens ulnis DEVS, quasi pusio, & Socius KOSTKA. Credebantur (ùt semper miseri, quæ finxêre, timent) vindicta, ac Divinus furor, tela ultricia, & Poloniæ fata, uno inveni essedo. Sed neq; errabat metus; igitur KOSTKA primùm contra superos certamen iniit; tanquam vincere non posset Turcam, nisì priùs vicisset DEVM. At quo telo? pronus coruit, effudit lacrymas, lacrymis risus, & comis assentatio se permiscuit. Et potuit placere, sive gemeret STANISLAUS, sive arrideret. Vtrumq; placat superos, si ploret innocentia, vel risu blandiatur. Itaq; ex illa amorum officina, scilicet è Divino & Mariano pectore collegit iras, atq; odia STANISLAUS, quib' Turcam fulminaret. Et fulminavit, vincendo prece pariter, ac manu. Nam hanc quoq; è Latio protendisse, ut Poloniam, ut integritatem Patriæ tueretur, credi poterat.

Qua strage occubuit rursus ad Chotimum Turca, post hæc in Germania, recens memoria tenet. Danubius inde, inde Tyras, campiq; adhuc rubentes hostili tabo,

sunt

ſunt monumenta Chriſtianæ felicitatis, dedecorum Thraciæ. Quantas hic copias invictiſſimus Leopoldus armavit, deduxit, oppoſuit! Et quia Auguſtiſſimi pietas, plus poſitum in religione, quàm armis putat, ſuos à cælo Divos, quaſi immortales copias advocavit. Huc & Ioannes III. ſcutum religionis, defenſor rei Chriſtianæ, & plusquam Mars Orthodoxus ſuis cum Polonis advolavit; ut Viennæ laboranti ſuccurreret. Et quia pro cælo, Divisq; pugnatum ibat, commilitonem duxit STANISLAUM. At invictiſſimus Exercituum Poloniæ Ductor Staniſlaus Iabłonovius, nunc Caſtellanus Cracovienſis, tunc Ruſſiæ Palatinus plùs uni Staniſlao, quàm armis omnibus copiisq; cōfiſus: dum hoſtis atroci impetu involaret in alas Poloni, & haſtas, & ferrum, & paratas mortes, dum ſæpe vires armatæ dubitarent, ac tantùm abeſſet, ut vel terga daremus, vel vitam, ille Imperatorio nutu, votoq;, à cælis eliciebat KOSTKAM. Aderat veluti juſſus, aut hactenus ſtipendia merens, hoc duce, & cognomine ſuo; aderat ut ex ſe, imò è cælo Polonis inſpiraret animum contra barbaros, quos exanimare, votum non vile fuit. Arcano prætereà hortatu erigebat ſpiritum militarem, forſitan & ipſe, non viſa fundebat tela, aut intorta à Polono in

Turcam mittebat fulmina, cum his, aut e-xitium, aut formidinem. Namq; ita Iabło-novius narrat, quòd exerato KOSTKA, & gradus, & impetum sic retrahebat hostis, quasi illisa saxo pila revolaret. Ita cælestis animæ, cælo interdum carere constitutum est Tibi, ut laboranti Polonorum fortunæ opem feras. Divinum est istud; vivere pu-blicæ felicitati, ad terrarum commoda fe-licem esse, atq; ibi cælum arbitrari, unde calamitatem depuleris.

Illa demum fex populorum Kozaci, colluvies illa, non tam hominum, quàm enatantium è Tartarô furiarum Scythæ, eo-dem fato ceciderunt in campis Berestecen-sibus. Fatum eras adversum hosti, saluta-re Polonis STANISLAE. Arva vix poterant ferre Scytharum centum quinquaginta, Ko-zacorum ducenta millia, & quæ in Poloniam furor acuebat arma, ac pejora ferro odia. Supremum diem formidavimus; & jam Polonæ vires fatiscebant, ruebant. Solus KOSTKA labentem Patriam posse sustinere credebatur. Verùm hic quoq; sudavit, su-dori lachrymas affudit, labores hosce testa-ta est effigies Divi, quæ nunc Lublini aurô expallescit. Quid tum Princeps! ante a-ram Divi procubuit, STANISLAUM in belli societatem vocavit, corrumpentia vel Di-

vos,

vos, dona spopondit, auream scilicet togam. Aureis hastis pugnasti Casimire; vinces. Grandis hic nervus belli, enervabit hostem. Obauratus (ita liceat fari.) Eques hic Tibi militavit. Ibit loricatus, auro hostiles perfringet impetus, perfringet vincente omnia auro. Ivit: plusquam centum millia hostium fusa, reliquos fuga subduxit, ut dedecori servaret. Facti in immensum crescerent, si per singula incedens oratio probaret STANISLAUM Poloniæ militare, & quasi unicum fessis rebus columen superstare. Liceat interim, aut marmori tenaci, aut vestris Auditores animis insculpere monumentum.

Non est imbellis pietas, ùt creditur. arma
Insontes animæ, plus quàm Vulcania promunt.
Innocua mentes gladios, nocituraq; tela,
Quanta venenatus haud fundis Maure pharetris
Sæpè vibrant. Sic KOSTKA Getas, sic Bistona sternis
Sentiat ut miti sub pectore barbarus hostem.
Vindiceq; explosum formides ab æthere fatum.
In cælo Herôës Tibi sunt ô Leche: mucrones
Stringis; at in cladem torquent sua fulmina Divi.
Et missa Tutore ruunt ex æthere mortes. Dixi.

ORA-

ORATIO SEPTIMA.

Delicium cæli, terrarumq;

B. STANISLAUS KOSTKA S. J.

SI quando mollior ſuada, & ſtyli voluptate fluens Oratio blandita eſt auribus, animumq; demulſit lenociniis dicendi: hodie certè, quidquid leporis, quidquid voluptatis facundia habet, profundi, ac conſumi decet. STANISLAUM laudo. Vos equidem ingentes animæ, quos horrida, crudaq; pietas ad firmiora initiavit conſilia, aut veteranis virtutibus innutritas mentes, dura, prope ſilicea probitas aſperavit, veſtris moribus concolorem amatis dictionem, id eſt ſine cura accuratam, concinnam ſine calamiſtris; ſine fuco excultam, & tantùm ex horrido ſpecioſam, cujus hic decor ſit, non ſine ſqualore detonare, quæq; impetu concitato proruens, quaſi fulmen, & aures feriat, & pectus. Sed ſi materiæ ſtylum velimus conformare, comenda eſt Oratio, ludendum verbis, feriandum feſtivo ſenſuum apparatu, nec quidquam ingerendum auribus, quod triſti & impexo rigeat ſermonis horrore. Nimirum STANISLAO pertexìmus elogia; at illé cæli voluptas, terrarum delicium eſt.

Ne

Ne tantùm horrida, & cultu aſpero proferret ſe pietas per animos hominum, per Divorum pectora, & per quidquid ſub ſole virtutum eſt; ecce & blandam, mollemq; imò delicatam pietatem. * Non eſt (ajebat ille) Philoſophiæ Regia deliciis, aut voluptatibus vacua. neq; longiùs à Muſæo noſtro habitant Deæ: Rarum attamen iſtud, nec ſine cauſa. Semina quidem virtutum à cælo trahimus, at non ſimul cum ſpiritu. Polluitur hic labe, antequam labis conſcius ſit. Hinc pravis affectibus vitiamur, variamur animis, quos non faciliùs cogitando aſſequi poſſimus, quàm pictor ſuis tabulis & coloribus, omnium corporum ſpecies atq; formas concluſerit. Hinc flagitiorum faces, & ſemina, ex his flagitia. Deinde inter vitia nutrimur, pariter innutrimur iis. Quare, ut probitas contingat mortalibus, quos flagitia corruperunt, cælo opus eſt, pænè incude ac malleo cæli. Rigidè formatur mens, fortiter excutiuntur affectus, quos duravit malignitas, ut deinceps innocentia tormentum ſit, Phalarydis bove gravius ſupplicium, aſſueto ad piacula, proinde reluctanti animo virtutem inſerere.

Numinis favore conſtitit, quòd ſicut in illis

* Themiſtius Philoſophus, Orat. 7.

illis plagis, quæ sole nimio flagrantes, plerumq; spissiori sanguine, & nigerrima cute, subjectas gentes tingunt, quorumdam verò hominum candor, à Patria ferrugine degenerat, in STANISLAO, dum passim asperæ mentes rigent, pietas delicium foret, & ipsemet STANISLAUS cæli voluptas, cùm hæc sola, quà cæteri inficiuntur, noxa vitiaverat KOSTKAM; reliquæ animorum pestes, nè quidem afflavere. Tantum abest, ut affirmem; omnes STANISLAO gratias adstitisse, & omnes cæli favores prolusisse ante vitam. Necdum enim aspexerat solem, cùm recentem fætum ad delicias amor Divinus inauguraret; vel illo igne, qui purpureus quidem, sed cælestis, sed innocentiæ prodromus infanti præluxit. Lubet insinuare, quod explorata authoritas vulgari famæ tradidit.

Gravem prole uterum ferebat Parens, interim dimissa è cælo flamma lusit, & tota lux in gyrum se fregit: ut radiis pingeret nomen IESV; veriùs quàm, ea, quæ è Servii capite emicuit, illustriùs, quàm ea, quæ Ascanii comas lambere, & pasci juxta tempora videbatur. Parens equidem Illustrissima nunquam illustrior quàm cælo sic blandiente apparuit; sed timuit futuræ spei, ùt semper est suspicax & solicitus amor. Excute formidinem magna Genitrix, non fatorum

cau-

causas incendia fovent; pabula sunt cælesti-um deliciarum. non tela jaculatur cælum; sed irritamenta voluptatis. Vivet amorib9 Divinis, & immorietur proles plusquam terrena.

Creditisne Auditores, cùm dixero, Naturam, & Gratias laborâsse ad lucem, quæ tunc à cælo fluxerat: ut hæ mentem comerent, illa corpus ad sanctiores illecebras, ad innocuos hominum cælitumq; amores efformaret. Mihi sic persuasum est. Vnde enim forma illa tam comis? unde mille in genis lepores? unde toto in corpore tanta dignitas? ut à cælo plurimum species prope divina traxisse putaretur? Quid autem est prodigii Auditores? dum præ fronte, præ oculis, præ genis, & supercilio vernant deliciæ, caput hyemem, ut ita dicam, admisit. Rem evolvo. Mundi blanditias odiaq; fraterna fugiebat STANISLAUS, fugitivo non humile votum Roma erat; & omni Capitolio, quia votorum summa, itineris meta, optabilior Societas IESV. Et facilè blandimenta seculi poterat expugnare abjecto fastu, atq; pompâ; centone etiam illo, quem Senatorius transfuga herili dorso induerat. Sed fratrem, & qui fraterno lateri hærebant insectatores, posse eludere difficiliùs videbatur. Poterat enim augusta

indo-

indoles nosci in vilibus pannis, perinde atq; sol, quem luridus dies nubilo involuit, noscitur prolata per opacos nubium horrores facie. Ergo metus genas, nunc sangvine inficere, nunc pallore vitiare, nunc violentos affectus permiscere. Adeò laborabat natura, ut succurreret sancto timori. Interim (prodigium!) temporibus irrepsêre cani, totumq; verticem subita cæsaries albedine, quasi pruinis permutavit, ut momento nativam nigredinem perdiderit canities portentosa. Ibat ergo, sine rugis, & sine annis, (nisì quòd præcox virtutum maturitas pensaret detrimenta ætatis) festinata Pueri senectus, & se capillo contra insidias, quasi muro innocentia tutabatur. Conspectus ab insectantibus, neq; agnitus; agnitus tamen cælo, & placuit. Nec verò cogitate Juvenem Ægeas hyemes pectore concepisse; aut Hyperboreo gelu animum diriguisse, dum caput brumam mentiretur. Æstuabat animus, & pectus; pectusnè an Ætna? Siquidem hoc tantos ardores concipiebat non rarò, ut totus accendi, ardere, liquefieri, diffluere videretur. Et diffluxisset, quamvis frigida incendium temperaret, ignesq; à cælo præcordiis injecti edomarentur aquis, nisì nova, & nova flammis pabula ministrata fuissent. Hinc illæ, quæ promanabant

lacrymæ jugisq; inter lætiora etiam fletus. Scilicet excoctus cælesti fervore animus tabescebat veluti gemma in foco, ut proinde lacrymæ, non tam oculorum, quàm cordis liquati, quàm mentis elixæ, forent eluvies. Cuncta hæc paucis amplector, ajoq;, à Sancto Iuvene, totum simul annum ad cæli cælitumq; voluptates exhibitum fuisse. Scilicet animo; æstatem, hyemem, cano capite, ver annis virentibus, autumnum virtutibus maturis. Addo præterea voluptatem sanctam sub præcordiis sedisse; incendia flammâsse, cor, animumq; in amores Divinos distillâsse; cùmq; innocentiam licentia dissolvere non posset, dissolutam esse igne cælesti, deniq; totam indolem deliciis cæli conformatam.

At vero superûm amores non melior forma, non compta species meretur. Animo placemus cælitibus, non vultu; præsertim cùm non raró eveniat * *insignis formâ, nequitiâq; puer*, & qui tam displiceat, quàm terris placet. Etenim cùm forma externo cultu polliceatur pietatem, fucus est persæpè, quod præsentat, ubi prima fax juventæ ad illicita exardescit diffluitq;. Stanislai species, quam vivum absolutæ virtutis, ac innocentiæ simulacrum, veriùs ap-

* *Martialis.*

pellares, nihil simulavit, nec ab animo unquam suo dissensit; nisi cùm decus animæ, venustatem corporis superaret. Non tam ille ingentium avorum, quàm DEI plenus imagine occurrebat. Hinc quidquid spondebat vultus, totum efficta ad honestatem indoles moribus exhibebat. Nam postquam intellexit, eos in contumeliam felicitatis vivere, quos ingens fortuna circumfudit, & nulla probitas, statim in illo flore, in illa vividæ indolis lætitia, cum aliàs amica juvenum voluptas emolliat recentes animos, solvatq; luxu, ac vivendi licentiâ, pius Juvenis voluptatem tantùm ex animo, cæloq; ac etiam patiendi pertinaciâ concipiebat. Dum enim corporis innocentiam vel inediis edomaret, vel sævitia verberum oppugnaret, vel insomni pietate noctes exigeret, ita piam crudelitatem condiebat amænitas tolerandi; ut nè ipse quidem Sardanapalus inter mollia lætiùs difflueret quàm Kostka inter atrocia. Per fidem! quanta illi è suppliciis voluptas! quod è tormentis delicium! Ad has verò virtutum blanditias hortabatur se è fortuna; è ceris quoq; majorum, non molles animos formabat. „ Ajebat: Cruces in paterno stemmate col„ lucent? absit, ut molli facinore profli„ gem majorum fortia. Solea pariter e-
mica,

micabat; sed Iuvenis Divus, qui se in familiam virtutis transcripserat, non tantum avito insigni, sed generosam fortitudinem instruebat. Currere (ita se accendebat „ dictis) currere debebis STANISLAE inof- „ fenso gradu per ardua. Hæc via ducit „ ad Superos, ad magni tecta Tonantis. „ Quidquid arrogantiæ tumet avitis è ti- „ tulis, protere, Graves mihi sunt admo- „ nitores stemmata, utiq; virtutum moni- „ menta, non arrogantiæ stimuli. De Ma- „ tre lac equidem suxi, sed Maternæ stir- „ pis insigne, Leo de muro se effert, id est „ Symbolum validarum mentium. Absit, „ ut ignavus delitescam. Majores pete- „ bant hostem ferro, quem regiones barba- „ ræ objecissent; mihi intra memetipsum „ & quærendus est, & profligandus hostis. „ Cæterum quidquid asperi vel è paterna cruce, vel è Materno Leone sibi persuaserat, totum id sic temperabat virtus, ut nihil non volupe foret, quidquid innocentibus membris inflixisset.

At nec edomari asperis, cogiq; debuerat ad virtutes, utpote nata pietati indoles, & cui sanctitas prope natura fuit. At quanto laudabilius est, quod nullo vitiorum æstu potuerit à recto dimoveri! Didicimus, quosdam in privato vivere innocenter, eos-

dem, simul ut in publicum emerserunt, quasi intra secretos parietes pudorem, amoremq; honesti reliquerint; ita fluctuare, ut animus inter flagitia sodalium tàm ægrè consistat, quàm phasellus in pelago, quem atrocia ventorum concitavit, & totum immanes procellæ agitant, quasi totum subverterent. Istis mixti sunt animi, semperq; pendentes, & voluntas ambigua, nè dicam obnoxia cuiq; vento. Nimirum virtute illos tanquam malaciâ componi, mox criminibus velut tempestate videas impelli: vocare libet paratos in utrumq;. At verò STANISLAUS, non in Matris gremio, non in paterna domo innocentiam projecit. Pectus illi, quasi sacrarium, quod recludere nefas foret; animus veluti ara, quàm non liceret violare. Hinc vitia nec amplecti potuit nec pati. Si fæditas verborum aditrepuisset aures illibatas, cor innocuum gravissimè feriebatur. Quippe incorruptus Iuvenis, non aliter quàm Narcissus, quem afflavit aquilo violentus, ad sibilos impudici sermonis languidus concidebat. Adeò delicatæ menti vel leve telum, gravissimum vulnus infligebat, tantùm non exanimabat. Pariter offerebant se contubernia, quibus compti moris est inter studia munditiarum, quas sibi luxus adscivit pænè in inimicum, & histri-

onale gesticulorum vanæq; urbanitatis officium; sed potuitnè quisquam è bellulis, aut lenonibus piam mentem evertere, mores perdere, quos innocentia contumax obfirnabat? Itaq; transiit puer Divinus in amores Cælitum, ut mera superûm voluptas dici potuerit, Divino favore ac moribus illum ad ejusmodi vitam ferentibus.

Expendite enim cæli voluptatem; certè rigidas Divorum mentes subegit amor, & cælestia pectora solverunt innocentes deliciæ. KOSTKA solus videbatur, studia cælitum non meruisse tantùm, sed (quod potentius est) omne cælum aut invasisse aut pertraxisse. Illum sidereæ Mentes visere; illum cælestes Genii circumvolare, illi terrarum cæliq; Regina blandiri, illi Regnator universi colludere, ac ideo, (ùt amor impatiens est Majestatis, nec quidquam indè patiens est Majestatis, nec quidquam à dignitate alienum putat) speciem infantis induere. Tantùm abest, ut Cælites dicam, æstuasse invidiâ, dum amoribus KOSTCÆ incaluerunt. Poterant tamen amoris consortia pati, qui sanctè amaverunt. Non memoro humanissimam è Divis Barbaram, quæ STANISLAO, dum is ægritudine langueret, affuit stipata comitatu Angelorum. Hi, ut sacros amores alerent, cælestem mensam instruxerunt. Convivium

erat DEVS ipſemet, utiq; famelico nihil niſi Divina eſurienti. Cætera his non abſimilia prodigia, Divorumq; cum Divino ephebo commercia, & ſi nō vulgare ſint argumentum delicii cæleſtis, libens prætereo. Etenim feſtinat Oratio ad Reginarum auguſtiſſimam, cujus delicium erat STANISLAUS. Febribus hic ardebat, & cæleſti amore; reſtinguenda erant incendia. Quid itaq; Parens Numinis? rapuit filium, advolavit, amoris fomenta, ipſum amorem, quia DEVM hominem & corde, & gremio vexit, ædibus infirmi intulit, caſto cubili, manibus deinde virginei Iuvenis ſarcinam cæleſtem compoſuit; ut ignes ignib⁹ exſtingueret. O diem illum beatiſſimum! ô horam quâ KOSTCÆ immenſa æternitatis ſpatia vix jucundiora! ô ſpectaculum Superis, & STANISLAO dignum! Adfuit MARIA, adfuit Filius, uterq; ſimul & plurimum cum his cælum adfuerunt. Arſiſti innocens Anime, arſiſti, imò ardores inter ſanctiſſimos prope exſtinctus es. Quis tibi animi ſenſus, cæli delicias, hoc eſt DEI Matrem, DEVMq; & oculo excipere, & plena mente! Quæ voluptas audire, qui fieri optabas, *Ingredere* (hortabatur Divina Parens) *Societatem Filii mei*, & jam voto eras, quod eſſe jubebaris. Ita prodigioſa hoſpes inviſit

STANISLAUM, & fecit Iesuitam; reperit lecto affixum, & in cæli amores erexit. Post hæc vitam abstulêre fata, non delicias. Eas non memoro, quibus affluunt universi cælites: placet insolitas meminisse, quæ nec inter arma, horridosq; martis æstus exstingui, vel refrigescere potuerunt. Bellum ex Turcia flagrabat, totus propè oriens & chalybe, & furore armatus sternebat Poloniam: suprema Patriæ metuebantur. Currus interim luce conspicuus, pænè omni ardens cælo, non vilia pondera provehebat. Carpento stellato trahebatur Virgo Parens & DEVS Homo, qui ut se ad blanditias tantò feliciùs effinxisset, quantò faciliùs tenera ætas diligitur, ingenta membra, collectam ex Numine Majestatem, totum se in pueriles artus coarctaverat. Et decorum fuit repuerascere ad amores, vel Numen maximum. Plaustrum, quod Divinum pondus implebat, etiam KOSTKA insidebat, ut tonanti in Poloniam DEO blandiretur, exarmaret iram, fulmina eliderer, lacrymis ac prece, visu præter hæc verecundo, pro gente consanguinea pugnaret. Et fortunatè actum est. Victori DEO lenimentum, ac delicium fuit: tandem blandiendo meruit altrici Poloniæ trophæa.

Post cæli voluptates, post lenocinia Di-

vorum inter delicias terrarùm reponendus est Kostka. Raro amores cæli, & terrarum consenserunt: in diversa ferimur votis. Placet Cælitibus, quod mortales odimus, pariter superi aversantur hominum oblectamenta, damnant transversos mortalium affectus. At ubi Kostka diligitur, magna est hominum Divorumq; consensio. Stylo res non eget: Poloniam, quâ se vastissimè diffundit, circumspicite, lustrate Provincias, visite urbes, spectate aras, privatorum ædes animo obite, undiq; argumenta fluent. Dum se dicatus Iuveni sacro evolvit dies; turres, & fastigia templorum festis ignibus coronantur, pyris, tædisq; collucent compita, lætis carminibus fora perstrepunt. Aliàs quoq; Stanisla' ore, Stanisla' animo circumfertur. Terris ille desiit vivere, sed quasi de fatis, & cælitib⁹ ultionem sumerent terræ; animatur in auro, in argento spirat, vivit in metallis, tantùm non omnia solicitantur elementa, ut unus Kostka veluti repetatur ad vitam. Plurimùm è fodinis erutum est, ut ornamentorum contemptor ornaretur. Aegrè possumus carere voluptate; dispendia, quacunq; demum arte, reparentur, frequentia templa assurgant honori Iuvenis sacri. Exiguum hoc; pendeant è parietibus, è tolis imagines: per

ter-

terras multiplicetur cælo vindicatus: geminentur solatia vel picturis. Ista sunt monumenta pietatis, hæc sancta lenocinia, hæ terrarum deliciæ. Circumferte vestrum hoc (ô Poloni!) solatium pleno pectore: patitur cælum rivales. Æternum genti consanguineæ sit delicium Divus Tribulis, ut habeat Polonia, quod diviné redamet. Nec plura: restat, ut ad aram Sacri Amoris, quod ex Apollinis ærario deprompsi, appendam anathema.

Et superos sua flamma coquit, sacrisq́ perurit
Ignibus æthereas mentes Divina voluptas.
Sic pharethras cælestis Amor complere sagittis
Suevit, & æthereis jaculari pectora telis.
Sed totum è flammis, alto de vulnere totum,
Cadereq́ & cædi (quis crederet?) urere, & uri
Delicium est. Ergo cælesti pectus amori
Pande; volaturis nam fies meta sagittis
KOSTKA. *Pharetratæ patrio prorumpite cælo*
Deliciæ; Sacri jaculum properate furores:
Flammeus ignitos animo Puer excipit ictus,
Et superos accendet amor, meliorq́ libido
Per cunctas Divorum animas incendia fundet,
Ut nisi Delicium cæli, Divûmq́ Voluptas
KOSTKA *sit: illum omnis flagrantiùs ardeat æther,*
Seq́ novis facibus totus miretur Olympus
Ex Puero flagrare Lecbo. Sic parva voluptas
Serpit in immensum, prædatoremq́ per artus,
Ingentes domitura Deos superinjicit ignem. Dixi.

ORATIO OCTAVA.

Simulacrum Innocentiæ.

B. STANISLAUS KOSTKA S. J.

SI eadem foret Oratorum felicitas, dum cœlestem illam STANISLAI mentem stylo, quasi vivis coloribus depingere laborant; quæ Apellis cujuspiam est, aut Phidiæ, dum Sanctissimos vultus aut coloribus animant, aut auro eboriq; inducunt, aut cætera metalla fatigant, ut verus ille contemptor mundi vel pictus reddatur mundo: haberes magne Auditor absolutissimum integerrimæ, ac pæne divinæ mentis simulacrum. Quoties enim regiam pulsare, aulas Procerum subire, nobilitatis visere penates, urbanas etiam domos lustrare libet, nihil frequentiùs occurrit aspectui, quàm KOSTKA. Simulacra è parietibus, simulacra è tholis, simulacra è laquearibus pendent; ut totidem pæne templa habeat STANISLAUS, quot domos Polonia habet. Alibi turrium fastigiis, quasi tutelare numen impositus suam ex alto Poloniam lustrat, alibi vigilat in portis urbium, quasi cælestes excubiæ. Aras & templa quid memorem? Ita ubiq; civitate donatur faustissimus Poloniæ Genius: ita veluti magister aularum, arcium præfectus,

ctus, excubitor templorum statuitur. Nec pingimus modò STANISLAUM; sed dum omni in metallo quærimus eum amare, ingens certamen geritur cum morte. Idcircò animatur aurum vultibus impressis, signatur argentum cælestibus figuris, spirant marmora Iuvenem Divum, & Saxorum ruditas expolitur Divinâ formâ. Nec patria duntaxat pietas suum Tribulem sic multiplicavit; jactat se, quasi omnium regnorum civis per regna omnia, hic ulnis, alibi toro innocenti excipit DEVM infantem alibi blanditur Matri Divinæ, & adhuc vel ipsi colores amorem halant, crudaq; lapidum duritiES mollitur in affectus, alias curru sidereo circumvehitur non vile põdus, interdum pectus DEO succensum gelida restinguit; sed frigus marmorum videtur ex amoribus sacris concipere calores; inflammari, ardere. Neq; ars mentitur, ut erat nigro crine, oculis blandè scintillantibus, & lacrymarum pietate natantibus, vultu supra humanum efficto, quem permistus candori sanguis ingenuè confundebat; ita è penicillo Parrhasii, è celo Praxitelis, vel ipsa STANISLAI mors vivit. Cur ista facilitas oratoriæ facultati non datur? nos infelices animum oratione non pingimus Iuvenis innocentissimi! Iam damno industriam, jam

artem

artem sine arte; jam ingenia non ingeniosa dicam. Nisi fortè faciliùs sit vultus depingere, quàm animi formam. Ita est. Ergo nihil agimus? calamos, & conatum abjicimus? vox intercluditur? absit. Non ita nos pietas, & facultas nostra effinxit. Libetnè (Auditores) monumentum accipere? dabo simulacrum mentis innocentissimæ. Quodsi autem solâ pietate clarescceret Innocentia hæc, tunc memoratis animæ decoribus perorarem; cùm verò, & nasci illustrissimè, & pariter educari contigerit STANISLAUM, nefas est aliquid istorum præterire.

Ab ipsis itaq; cunabulis innocentissimum Iuvenem deduco, vel ideo, quòd cum magno sanguine generosi plerumq; spiritus, & ingentium virtutum semina primò intra venas defluant, deinde in animum se penetrent, eumq; acri stimulo ad magna concitent. Quomodo gemmis, auroq; non Thersitæ deformissimos vultus, non Ephori ignaviam, non crimina mortalium; sed vel Divorum formas, vel Heroûm ausa, vel siderum orbes insculpi convenit: quomodo implumes etiam aquilæ indolem non degenerem explorant ad solem, totumq; licèt rudi oculo diem ferendo, faciunt de patre fidem: ita STANISLAI mens generoso sangui,

guini innatavit; sed generosa: quasi tota nobilitas foret ad virtutes, & originis gloria corrumperetur, corrupta probitate. Ad patriam respexit Soleam, dicamne solem? & credo, arcano quodam hortatu, sive naturæ, sive gratiarum admonitum esse, ut nobilitatem generis, virtutibus geminaret. Opinor item, animam recentem subita virtutum cupidine imbutam esse, ut suam deinceps antiquitatem cælo consecraret. Aliàs indecorè stemmata, & avorum nomina jactantur, si humilitate actorum serpat ignavus nepos; cùm tantò probrosiùs flagitia sternant animum, quantò sublimiùs indulgentia fortunæ attollit. Sed tuis STANISLAE moribus bene convenit cum fortuna, & claritudine majorum. Quæ enim illa stirpis magnificentia? quæ vetustas? originem ignorare videtur origo domûs, ita vetusta est, vix non dicam, ita æterna est! Vt etiam immensa foret, in Prussia primùm, deinde in Masovia, post hæc omnem per Poloniam se diffudit. Digna erat, quæ ultra Thulen, imò ultra solis cubilia, mundiq; terminos se proferret. Et protulit. Postquam enim Divine Iuvenis ex Polonia, patrioq; nido evolâsses, brevi è terris etiam discessisti. At quam fortunatè! animus cælo vindicatus est; nomen, & tuum, &

styr-

ſtyrpis univerſæ per omnia ſe jactavit. Tu quidem ex omni fortunæ paratu præter Cruces decerpſiſti nihil, dum conſtaret inventam ideo ſoleam, ut terras protereret: cæterùm ad gentis conſanguineæ gloriam, ipſemet contemptus gloriæ militavit. Quocunq; ſub cælo jacent populi, ſcient & fuiſſe KOSTKAS, & eosdem omnibus titulis effulſiſſe hos tiaris, illos purpurâ, & armis, illos etiam ad regnum ſuffragiis. Maternum pariter genus orbi præſtas, ut vel illi, quos natura pedibus noſtris ſubjecit, populi didicerint eſſe Kriſcios. Dum enim Tuis ſe aris advolvunt, dum Tuum numen invocant; in penſili ex altaribus anathemate Solea, & Cruces paternæ, tum Leo maternus ſubinde occurrunt. Itaq; non rarò libet percontari populis: quis ille STANISLAUS tenerâ ætate, & adultis moribus? prætextatis annis & cana pietate? tum diſcunt ex faſtis, Patritium fuiſſe Polonum, cui tot Proceres illuſtriſſimi contigerunt, quot Atavi. Quamobrem libet repetere: quæ illa ſtirpis magnificentia? quæ vetuſtas? ſed quæ itidem integerrimi Iuvenis innocentia? hac ille nobilitavit generis nobilitatem, hac cælo dedicavit avitum nomen. Hinc videtur in lucem, vel ideo emerſiſſe, ut aſtris inferret propaginem, quæ

ſe

ſe magnificè per terras inferebat; quæq; ex purpuris, ex militarium, civiliumq; rerum uſu, inter mortales cæperat immortalitatem; deinde à Sanctiſſimo Nepote inter cælites apotheoſim acciperet.

O te fortunatam propago jam cæleſtis! ô genus alto à ſanguine Divûm! vos equidem Auditores ingemiſcitis: ſiccinè illuſtres animæ evaneſcunt? ubi gens illa immortalis? illa natio Procerum ubi eſt? Heu tantò è genere præter ruinam nihil admiramur! ô invidiam fatorum! ô nihil ſub ſole perpetuum! Si Kostkarum proſapia deceſſit; quid non fatiſcit? ſi æternitas iſta exſpiravit, in urna jacent omnia! cæterùm Stanislaus, nè fata accuſaremus, coloniam gentis conſanguineæ ad ſuperos deduxit; ut nihil Kostkarum in terris ſupereſſet, poſtquam ille receptus eſt cælo. Vt verò ſanguinem ſuum Divis insereret, non illo duntaxat tempore, quo è ſeculi fluctibus in portum tranquillioris vitæ delatus eſt, nomenq; Ignatio dedit, tota illi vita continua fuit apotheoſis. Per terras reptabat; & placebat cælo. Adeò innocenti pueritiæ præcox ad honeſtum animus, coæva probitas! tantùm abeſt, ut exclamem: Stanislaus relicto lacte jam puer virtutem ibibit! Stanislaus in ſinu Parentis ludens

collu-

collusit probitati! Rarum hoc, cùm temeritate cogitationum fluctuet prima ætas, utiq; præceptis reluctans, rationi dissona, & tantùm ludere par impar, nata. Accedit mollis nutricum indulgentia, effæminatæ gynæceorum blanditiæ, quæ inter mollia recentem animam frangunt. Tantùm ambrosiis nutritur, tantùm nectaria bibit conchyliatus Infans: Deorum putes prolem; nisi quòd criminum satur delicta hauriat, & cum his vix humanam mentem; ut deinceps innutritæ malis indoli priùs desipiat virtus, antequam delibetur; & vitia transeant in mores, prope in naturam, priusquàm sciantur nomina virtutum. Obstrepunt chori, concentus aurem, animumq; permulcent dicta, nè Alexandrinis quidem, aut Campanis luxibus permittenda jactantur; peregrinæ superstitionis mysteria, obscænaq; petulantia mensis oberrat: interea pusio purpureus, mollia hæc, & indecora, audit, intuetur, & priusquàm se delinquere intelligat, delinquit, utiq, eruditus ad piacula. Ex arte peccatur, ubi fortuna affluit. Postquam verò inter pueriles blanditias, perdidit mores infelix pueritia, quid à Iuvene, quid à Viro speres? soluti fluentesq; tam effuso impetu in annos, quàm in flagitia provehuntur. Quin sæpe dubium est, ætate magis, an-

an criminibus crescat lactata noxis infantia. Quanta STANISLAO è primis vivendi initiis gloria? fax illa ætatis teneræ non ita arsit, ut inter mollia diffiflueret. Nihil illi exiguum præter annos, artusq; puériles: animus certè, qualem in viro pietas rara vix componat. Puer agebat negotia virorum: & per ludum exigebat ab infantili innocentia veteranam pietatem. Aderat mensis, inter quas solâ inediâ plerumq; se nutriebat, aut cæli cupedias prægustabat. Hic luxus placebat KOSTCÆ in conviviis. Interim dum mensæ calerent epulis; salibus, quos festivè innocens risus adspersit, adjiciebantur quandoq; inconditi lepores, jactabantur infacetæ lenonum facetiæ (nimirum incestæ mentes nullibi magis acumine valent, quàm inter fæda ingeniorum certamina, acuti ad innocentiæ vulnera, ad profligandum pudorem ingeniosi) Ægystus, cui tantundem ad mala audaciæ, quantum ingenii, plausu prosequebatur nupta verba; risu approbabat Phædra insolens, & perinde prona aure, ac mente facili; excipiebat licentiam jocandi, criminaq; dictorum Clytemnestra. Iuveni etsi prætextato sermones prætextati non placebant. Pudor primùm armabat rubore vultus integerrimos contra impudentiam, mox in terram veluti exanimis ruebat; &

tantùm sic in lubrico hoc labi poterat integerrimus Adolescens. Maluisset ruere in orcum, quàm vel auditu accipere orci ignibus expianda. Nec latebat, innocentiam adeò delicatam esse, ut illecebris quoq; verborum si non lædatur, inquinetur certè: & per aures tanquam per ostia patentia in animum intrare vitia, nec esse illimem animum; si obscænos facetiarum limos admittat auris. Hinc tanta illi innocentiæ subtilitas, ut leve telum gravissimum vulnus infligeret, tantùm non exanimaret! Aderat subinde inter sodalium cætus, quos prima ætas, & fortuna in licentiam, licentia solvebat in crimina, ex criminum frequentia gignebatur necessitas peccandi, & honos erat piaculis; dum tantò generosior putaretur adolescentia, quantò audaciùs, simul in flagitia, simul in tartarum ruebat. Interea Stanislaus pia mente adire cælos, occurrere superis, sûi tantum umbras relinquere cõsortio discolorum, & totus misceri DEO, Divisq;, animo versare astra expeditiùs, quàm volubili orbe Archimedes. Non tamen curiosa mens cælos sideraq; invaserat. Licèt enim perspiceret, non esse crimen, si anima generosior altiùs exsurgat, veriq; avida se efferat supra vulgi studia, curasq; populares, atq; ideo non damnaret ingenia,
quæ

quæ terras, earumq; situm investigant, aut solerti meditatione cælos perambulant, elementorum semina, causas, fœdera, & fidem, totumq; naturæ sinum excutiunt: nihilominùs aliis hæc relinquebat ingeniis, ipse verò ad summa prorumpebat, ut cæli spectaculo frueretur. Hinc ille Conditorem tanquam per vestigia secutus, deprehendebat, hinc, quod utiliùs erat, ex sidereis ignibus toto pectore concipiebat flammam, hinc exterminii discebat squalorem, hinc in patriam tædiis ferebatur, cæloq; perfrui anhelabat, quod tantùm suspicere, vel sola mente ingredi licebat. Et quia facilè in consortia mortalium trahuntur cælites, virtute pellexit cælum; ut jam necessarius Divorum, superûm familiaris dici mereretur. Si mentis integerrimæ penetralia licuisset excutere, totam intra præcordia virtutem, DEVM, cælumq; reperisses. Ita vel Kostka pectus puerile ampliaverat, vel ita se cælum arctaverat. Ab Angelis visitari subinde Iuvenem sacrum quid mirer? Angelus erat morum innocentiâ, quæ simile consortium sibi facilè conciliaret. Majorem parit admirationem, non rarò à Divina Parente conveniri, nisi quòd candor, ac integritas MARIAM sibi adoptaverit Matrem. At prodigia superavit, quòd interdum DEVS

ipſe repueraſcere inter amores dignatus eſt, feſtinè quoq; ad ſuum KOSTKAM evolavit, à Matris complexu interea divelli paſſus; ſe tamen integrum reperit intra animum, pectusq; STANISLAI. Sic KOSTKAM effinxerant gratiæ, ſic formaverat pietas feſtinata, ut dignum fingerent DEO. De aliis, quæ animum ornant decoribus, quid afferam? mobiles ſunt juvenum animi, & fluxi ætate. Dubites, faciliùs arripiant honeſtum, an dimittant. Divo Iuveni mens adamantina, & plus, quàm ferreum pectus eſſe videbatur. Quam ſemel coluit innocentiam, tenuit ſemper. Non exemplis in deteriora vocantibus, non incitatione pejorum etiam probis periculoſa, non levitate ætatis, non duris, non deniq; amore conſanguineo, qui facilè imponit multis, potuit dimoveri à ſanctitate cogitationum, actorumq;. Sicut quorũdam lapidum pertinacia inexpugnabilis eſt ferro aut ignibus, nec ſecari adamas, aut cædi, vel deteri poteſt, ſed incurrentia retundit ultro: ſicut quædam non poſſunt confumi igne; ſed flamma circumfuſa ſuum vigorem, habitumq; conſervant, ſicut projecti in altum ſcopuli, mare frangunt, nec ipſi ulla ſævitiæ veſtigia, tot verberati fluctibus oſtendunt; ita tener animus erat ſolidus, atq; id roboris collegit, ut tam con-

ſtans

ſtans eſſet, quàm illa, quæ retuli. Faciliùs forte ſuperantur inſidiæ, quas objicit infernus, quam blanditiæ, quàm minæ ſuorum, utrumq; KOSTKA conſtantiſſimè profligavit: primò quidem odia fratris, deinde minas Parentis. Hoſtem ille ſpiravit, quòd ſolutos in mores non tranſiret STANISLAUS: hic Patrem exuiſſe videbatur, quia innocens puer à ſeculo degenerabat, magìsq; in Familiam cælitum, quàm KOSTKARUM pietate velut nutrice, favoribus numinis tanquam ducibus uſus, ſe cooptabat. Sed neq; minæ Patris, neq; amores animum, quem duraverat conſtantia, infregerunt.

Quid ego per cætera nomina virtutum abeam? quid memorem crudam pietatem? edomitum inediis palatum? affixam cælo mentem? intactum animi candorem? compendium ſit laudationis. Dediſti Polonia STANISLAUM, & genere, & opibus, & ceris Avorum illuſtriſſimum; ſed qui didicerat neminem in alterius gloriam vixiſſe, nec atria imaginibus plena ſufficere ad laudem. Videras Auſtria Iuvenem formâ Divina; ſed hac divinitate haud contentum, quòd conſtaret formam probitate conſecrari. Sic mentem, ſtudiaq; compoſuiſſe, ut corpore innocuo tantùm in curas virtutum, non in delicias uteretur, atq; ideo verbera, & ex illis

illis plagas in voluptate reponeret. Advertetas Germania Polonum ætate viridi, indole excitata, quæ & oculos raperet, & animos, agentem in contuberniis etiam horum, quorum præter formam nihil unquam bonus laudavit; sed is erat STANISLAUS, qui vitia non rideret, neq; seculum appellaret, corrumpere, & corrumpi. Sic enim certavit innocentia contra illos, quibus multum est audaciæ ad indecora, ut nunquam innocentem spiritum per flagitia præcipitaret. Postremò complexa es illibatam Romæ pueritiam, & læta adspexisti, quod deinde apotheosi donares. Ita STANISLAUM gratiæ formaverunt in habitum, & figuram cælestem; nè quid infruniti esset ingenii! Ita decoram spirantemq; virtutum imaginem exhibuit, ipse viva imago innocentiæ! imò neq; ita. Quis enim perfectam animæ tam innocentis, & tam Divinæ effigiem proponat? vos (quæ vestra in Divum pietas est) meliùs simulacrum STANISLAI effingetis animo, ac moribus, quàm ego dictione.

Dixi.

ORA-

ORATIO NONA:

Nova in Pectore B. STANISLAI KOSTCÆ ÆTNA.

ÆTnam Auditores animo revolvite; sed non eam, cujus incendiis perpetuum natura pabulum suppeditat, Poëtæ fabulis auxerunt. E Sicilia in Poloniam, mox in Germaniam, tandem Romam libeat commigrare, & in pectore innocuo Angelici KOSTCÆ novam videre Ætnam. Dii boni! quis ille ignis? qui æstus? quæ flamma? non intro se aluit tantùm, sed collectis intra venas, & animum viribus in pectus plenum DEO, cæliq; deliciis, manavit, atq; illud sic perussit, ut ardor frigidà debuerit temperari, opprimi non potuerit? Planiùs rem evolvo: tam pertinaci studio sacrarum precum STANISLAUS intererat Regiæ cælesti, ut penitùs cælo affigi animus videretur; dum omnis locus, templum, & quævis actio foret inabruptum cum DEO consortium. Vbi autem diutissimè indulget familiaritati Divinæ, mentem verè igneam è cælo delibavit. Totus enim calore insolito accendi, totus ignescere, ore, oculis, supercilio jactare flammas, plusquàm mor-

tales; pectus interim sic æstuare, sic cor inflammari, quasi ad Enceladi pœnas innocentia damnaretur. Lassabatur cura medentium, ut injectos ignes extinguerет, ardebant: obvia famulantium obsequia telas aquâ perfusas, velut temperamentum, adhibebant; ardebant: ergo trepidatum est, nè subitò liquesceret Divinus puer, dum sic arderet. Facessat metus: Ætnam in pectore concepit STANISLAUS; ardere potest, non potest absumi; æternos ignes, meliùs, quàm Vestalium rogos nutriet hoc pabulum; ut quibus semel accensus est, uratur semper. Secum feret incendia, etiam dum in cælos feretur. Libeat hic percontari: quis ille incendiarius ignem subjecit pectori integerrimo? Didicimus: Herostratum vesanâ immortalitatis cupidine incensum, incendisse illud mundi prodigium, fanum Dianæ, ut quandoq; inter posteros quæreretur, quisnam ille fuerit, quo authore delubrum interierit? constaret, Herostratum, vixisse ingentem ad crimina, atq; adeò, etsi non claritas ex incendiis, æternitas certè nomini scelesto constaret, seq; ruinis templi, perpetuò licentia perdita sustentaret. Neq; nos præterit, plurimos gradari incensores, qui humanas mentes affectusq; urant; his fortuna, forma illis, plerisq; Tænariæ frau-

des incendium fuêre. Alii dùm Ceras Majorum ambitiosiùs contemplantur, è ceris concipiunt flammam, ієq; perniciosiùs exurit arrogantia. Vt paucis amplectar multa, pluribus totidem sunt Herostrati, quot incentiva virtutis esse oportebat. An enim paucos sublimitas Natalium evertit? an rarò forma corporis deformavit animum? non passim probitatis egenos videas, quos habendi felicitas auxit opibus? STANISLAO non venustas nativa, non splendor generis, non divitiarum affluentia, non quidquid felicitas vocatur, fatuis mentem ignibus afflavit. Genus Paternum, Maternumq; Senatorium, summis etiam Principibus permistum. Stemma numerosum, major virtutum prosapia. Cùm enim fumosas per atria, tolosq; contemplatur imagines, nihil fumi irrepsit in animum, quia nec scintilla ambitionis se supposuit cineri doloso. Quid forma? Parrhasius talem haud animavit coloribus Ganimedem, qualem naturæ indulgentia KOSTULUM formavit. Superos in amorem sûi poterat ore venustissimo pellicere, si cælo placeremus vultu: pariter si Genii cælestes corporei gignerentur, eadem Matre Genios cælestes & simillimos KOSTCÆ congeneresq; gigni deceret. Frustra computem fasces, titulos, & opum immensitatem;

tem; cum fasti Poloniæ, & adhuc recens memoria KOSTKAS rerum potentissimos promulget. At neq; species liberalis, nec divitiæ, quamvis sine malorum irritamenta, nec bonorum insignia, vel scintillam vitiorum menti incusserunt. Oris gratiæ consenserant cum cælestibus, ut perinde optimis moribus esset, ac erat vultu optimo. Ergo compertum est, posse Veneres mille præ genis vernare, & nullam in præcordiis animoq; uti etiam illustrari fortunis, neq; tamen ardere ad flagitia. Quam sæpè innocentiam evertit, malorum societas, & exempla! STANISLAUS inconcussâ mente, moribus integris, etiam inter has Charybdes navigabat. Excidisset effræni licentiæ indecens, nuptumq; verbum; ruebat in terram STANISLAUS, nè rueret in illicita, stygemq;. adeò nihil fortuna, nihil natura indulgentior, nihil malorum illecebræ habebant, quo STANISLAI pectus incalesceret. A cælo igitur hæc flamma in animum, ex animo in pectus, in omnes fibras è pectore dimanavit. Neq; enim licebat se abscondere, & in abdito alere: proferebat se, & in faciem exibat æstus. Minora erant, dum STANISLAUS, adhuc utero Matris, sine nomine, tantùm non sine hominis figura includeretur, cælitus transfundi radios supra Parentis

tis Illustrissimæ alvum fortunatissimo pondere gravem, eosdem in gyrum circumagi, frangi in radios, in simulacrum Nominis IESV efformari. Tunc enim cælestis flamma præludebat tantùm excitandis olim incendiis, & parvum notabat pectus, quod deinceps in cæli favores ampliatum, totis ignibus ureretur. Superi non fallunt; sed præsagiis ludentibus semina verorum insunt. Necdum enim exuerat prætextam conchyliatus puer, jam Virum cælestem, jam mentem ultra quàm humanam, jam (& si frigeat passim ad virtutem infantia) totus cælestium amore incalescere properavit. Rudimenta hæc, primiq; fomites, quemadmodùm gratiarum, sic incendii cælestis, quæcunq; intimam cum Divis Divorumq; Regina necessitudinem antecesserant. Tunc verè Ætna cor Stanislai! tunc totus flãmeus Kostka, cùm totus cælituum. Conjicitis Auditores, quo vela expandam Orationi, nimirum ut cælestis illa familiaritas memoretur. O dies æternitate majores! ô noctes die illustriores! Genitrix Divina, iterum iterumq; suum revisit Stanislaum, materno complexu invexit reductum in pueriles artus, planèq; ad amores repuerascentem Filium, toro innocenti composuit. Arsisti tunc, arsisti Stanislae, cùm ignem à

cælo dilapsum, non minùs lectulo Virginali, quàm mente plena exciperes! quàm blandè amorem è collo pendulum sustinuisti, nec tam appressisti cordi, quàm impressisti? Hinc novi æstus. Si Te natura ex auro finxisset, debueras liquefieri, superest ut adamantinum dicam, aut certè ignitum aurum, lapidemvè. Quid cùm humanissima adfuit BARBARA? cùm spiritus cælestes ad Te convolaverunt, quasi ad Tribulem, cum Ambrosia Divina? Alimentum hoc nutrivit pectoris calores.

Nec ipsemet KOSTKA suis defuit incendiis; utiq; in pœnas amabiles, & dulcissima castissimi cordis tormenta ingeniosus. Quidquid agebat, quidquid moliebatur pietas, fomentum erat sacri amoris, qui nunquàm non igneus est. Stylum colebat oratorium? argumentum styli ùt plurimum fuit MARIA, id est lampas (liceat enim Oratori Sacro loqui cum Epiphanio) gestans lucem inexstinguibilem, Sole splendidiorem. Pià mente occurrebat superis, totamq; cælo animam insinuabat precando? fidem adstruebat fabulæ Promethei: quem ajunt è rota solis rapuisse ignem, quo luteos homines animaret. Ecce autem pœna;

. . . . *post ignem æthereâ domo*

Sub-

Subductum maties & nova febrium
Terris incubuit cobors.

Ipſe etiam raptor per Mercurium alligatur Caucaſo, aquilæ in eſum cor cedit, quod è damnis ſemper creſceret ad ſupplicia. Quod inquam commentum eſt in Prometheo, ſpeciem veritatis habet in STANISLAO. Tantùm enim abeſt ô Dive Iuvenis, ut Te accuſem nimiæ cum cælo familiaritatis? tu quidem multum animo hauſiſti, non Solem, ſed ſolis Auctorem, nihilominus poſt conſortia DEI, mortalis vita in Caucaſum, libido convolandi ad cælites in aquilam degeneravit. Heu! quanta Tibi damnatio per terras corpuſculum circumferre, qui ſpiritu aſtra invaſeras? Quibus ſe tædiis arroſit animus, dum minima licèt parte tûi à cælo exulares. Erat tamen diſcrimen STANISLAUM inter & Prometheum: hic creditus eſt igne cæleſti animum humano corpori ingeneraſſe: KOSTKA ſic exæſtuavit, ut videretur omnem in ſe hominem exſtinxiſſe, tantùmq; umbram hominis inter mortales reliquiſſe, cætera in Patriam Divorum abegiſſe. Sæpè natârunt lacrymis genæ, oculi in hoc naufragio dulciſſimè peribant; ſed voluptas plorandi fovebat cæleſtes flammas. Addo: etiam tunc, dum ſibi alimenta inter Senatorias dapes ſubtraheret, alebat ignes Divinos.

vinos. Decrescebat corpus, crescebat virtus. Flagra ipsa, quibus se pietas severa incitabat, eò vergebant, ut pœnarum atrocitate cruor expressus, flueret in nutrimentum pectoralis Ætnæ.

Non diffiteor plurima obstitisse, quibus obtunderetur impetus probitatis. Fratris sæva dominatio, pejorum exempla, Patris minaces literæ, erumpentes usq; ex orco suppetiæ his omnibus militabant, sed omnia sacros calores foverunt. Crescit adversis virtus, & vires colligit è malignitate.

Habetis Iuvenem Auditores, cujus animus nunquam voluptate permaduit, etsi hæc totis se alveis infunderet. Vixit, cùm essent in processu magnifica vitia; sed mentis felicissimæ liber impetus prorupit altiùs, ut famam in laudes advocaret, quam contempsit. Non deerant, qui pro virtutibus ingererent vitia; sedsmens assueta cælo, studio melioris boni excandescebat. Phœnicem dixero, qui ex incendiis in meliorem vitam renatus est; aut Salamandram, qui sacris ignibus vixit, vivetq; coævus cælo ac superis. Namq; ubi eminentia potentissimorum fastigia ruent, cùm superbas mortalium serenitates caligo involvet, dum illi vanescent, quos incendia noxarum, & blandæ fraudes depascebantur, STANISLAI no-

men; eriget se ultra Principum, Regumq; titulos, & tam per populos, toto orbe divisos, etiam antipodes, quàm per superûm Regna intaminatos exeret splendores. At Tu ô Sacrum, Divisq; carissimum caput, huc reflecte oculos, huc sacras evibra faces, quâ tuam Patriam, aut cruda calamitas exercet, aut malè consumunt piaculorum tædæ.

Sed jam inter tot incendia, æstusq; obscura, & frigens deficit suada. *Dixi.*

ORATIO DECIMA.

Idea Principum

S. FRANCISCVS BORGIA.

IDeam boni Principis formavere multi; vix aliquis efformavit. Sudant hucusq; eruditæ frontes, diffundunt se calami doctiores, ut hi terrarum Divi in Divorum transeant mores, & quos fortuna secrevit à vulgo, eos paritèr innocentia vitæ proferat supra vulgus. Et jam crevit bibliotheca, dum Princeps instituitur; Interim tineæ pabula accipiunt, ærugini nutrimenta, è calamis, è prælis, è librariis congeruntur. Principes, quà juvat, eunt. Fortuna animos emollit, fastus in præcipitia proturbat mentes; ut inter prospera, ægrè liceat esse probos,

bos, sed tantum sit de piaculis, quantum affluit de felicitate. Itaq; pervulgatum erat, Proceres posse fortunas congerere; non posse virtutes: quasi ad contumeliam honoris, ad titulorum probra eminerent. Absolvit ab hoc dedecore, & fortunam, & fortunatos, Dux noster, qui felicitatem, & probitatem; principatum, & innocentiam, tam arcto fœdere copulavit, ut si quis ideam sancti, ac innocentis, Diisq; simillimi Principis, habere cupiat, ipsi non monumenta sapientûm evolvere, non Politicorum excutere arcana sit necesse: verùm si unius BORGIÆ acta explorenrur, viva, spiransq; Principum norma occurrat.

Quidquid enim virtutis est, totum id augusto pectore BORGIAS contraxerat: quasi nefas duceret: Principem esse, & tamen, vulgari probitate contentum, ultra communem mortalium vitam, non assurgere. Quin imo, ita non rarò secum agitabat: Ego tiaris assurgam; & animo reptabo? purpurā lacerto inducam; & plebeia probitas, infra fortunā jacebit? censūs Provinciarū, populorum tributa congeram; interim inops animi, virtutisq; titulum Ducis, ac Proregis infamabo humili pietate, fortunæq; illustriori inferam contumeliam? jura populis dabo, ipse exlex, nec regna meî occupans? Absit.

Igno-

Ignominiosum est; gazis pariter dite-
scere, ac piaculis: terris probari; improba-
ri cælo. Quamobrem sic mores composu-
it, sic instruxit aulam, ut hæc virtutis po-
tiùs regia videretur. Si quisquam arrogan-
tiùs de titulis Francisci contenderet; aut
symbola ambitiosiùs consectaretur: ego pri-
mo velut impetu, speculum objicerem, in
quo obvii vultus, cæteræq; species, sic re-
lucent, tanquam ea subito colore, manuq;
extemporanea Parrhasius efformaverit. O-
mnis enim fortuna, ætasq; potest se contem-
plari in Borgia, & omnis ad normam hanc
limare vitam, instituere mores. Vos tamẽ,
quos fortuna, non terræ filios esse maluit,
huc evoco Quirites magni, nomina serenis-
sima, Fidem hominum! quanta illi inno-
centia vitæ, quàm submissa mens! quàm
dissimilis fortunæ vultus! quæ cum Divis
familiaritas! ut vel cælo affixum credideris
Ducis animum, aut (quod de Principibus
ajebat Homerus) necessarium Deorum. Ita
versabatur in palatio, quasi in templo; tem-
pla sic adibat, ut cælum soluta corpore mẽs
adiisse, aut inde regredi, videretur. Nimi-
rum domestica illi ubiq; pietas, ac religio.
Aulicorum mores strictè contentèq;; & in-
stituit, & servavit. Nam servitia, non suo
magis obsequio, quàm DEI efformabat.

Non ille palatii tineas, cimicesq; (ita non-nemo otiosos famulitii, necnon epheburum exercitus vocabat) ad pompam instruxit: frequentia ministrorum, pietati æquè, ac Duci piissimo serviebat. Modestiam, abstinentiam, continentiam, à servorum gregibus exigebat; ut obsequii fidelitate, non lasciviâ, non fastu, non petulantiâ, vel Domini insignibus, à cæteris differrent. Hinc aleâ, cæterosq; lusus, qui magìs eludunt innocentiam, illudunt cælo, quàm feriam animo remissionem à curis parant, à sanctissima domo proscripserat; pænè relegaverat in exilium. Fama, nè illa quidem, quæ affingit majora veris, sed plurimis approbata experimentis, admonebat; exiret aula, quisquis pius esse vellet. Qui pietati studere maluerat; huic aula Borgiæ subeunda fuit, eò quòd augustale illud fuerit quasi ara pietatis, & plùs, quàm omnes olim Lares, aut Penates. Dicam veriùs: aula Borgiana, cæli faciem; aulici, cælitum mores, ac ingeniũ induerant. Quid mirer? Sancto sub Principe consecrari omnia necesse est; cùm acta domini, sint leges vivendi spirantes, sint optimi morum censores.

Nemo autem Franciscum non è dignitate Principis instruxisse virtutem, & aulas, arbitretur. Conciliaverat diversa nomina

Ma-

Majéstatem & probitatem. mores compsc-rat, & palatia; sed non personatus, non arrogans Princeps. Siquidem nihil illi de luxu in cænis vel in trabea. Fractos levitate mores, simulatos vultus, & veluti composita mysteria, aut superstitiones exoticas, ita oderat tanquam dedecora dignitatis. Principem egit, non pantomimum. omnia gravitate, sed non quam prava, & inscia Majestatis veræ ambitio simularet, moderatio temperavit. Divitum supercilia raró videas, nisi elata; qui dum ultra modum mulcentur blanditiis fortunæ, modestiam amisere. Ecquis Potentûm credidit sensus modesti cultum, in Ducali laude reponendum? humilis hæc virtus, dubium an virtus, certè nec palatiis digna, nec Principibus judicabatur. Hujus in locum migraverat fastus, & pejor odio, contemptus cæterorum. Principes desinere sibi videntur pleriq;, si quo vulgus incedant modo, attollant supercilium, inspiciant, manum, aut pedem vulgariter moveant. Alti ergo, & fluctuantibus huc illuc brachiis, se in diversa librant, multus iis divitiarum splendor affulgurat; Saxeam credas Nioben, cùm advertis divitem superbum, qui pretio lapidum obrigescit, an suo potiùs lapidatur à luxu, undequaq; rapto nitore emicat, & to-

ta felicitas bracteata est. Ad hæc, nisi recondita quædam, fracto etiam sono, proferant, nec loqui se arbitrantur. Adeò cùm animum, moresq; projecerunt, exterioris elegantiæ studium vanissimos fatigat; ut tantùm chlamyde veluti stellatos, cerussatos vultu, comâ nitidos, & (ut ajebat ille) * *de capsula totos*, dicam theatrales, humanis aspectibus, se permittant interim mendaciis naturæ læti. Concedite Auditores, ut exclamem: fabulam cachinno explodendam; scenam sannis exagitandam agunt, dum exigunt Majestatem. Dux noster demissionem animi, vultusq; ac etiam despicientiam sui, nomen antea privatum, inane irrisumq;, non solùm in aulam vocavit, sed indutam purpurâ, auro, gemmisq; redimitam, parietibus excepit, pectore conclusit. Hinc cùm BORGIAM quis nôsse cuperet, non ex insano corporis luxu, lapideis flammis, mentientis naturæ commentis, è ficta oris, oculorum, superciliorum, compositione, & (quib⁹ trabeati histriones ludũt) insaniẽtis superbiæ gesticulationibus noscẽdus erat. Quẽ demississimũ in palatio, ad aras religiosissimũ vidisses; BORGIAS erat. Aulæ magnificẽtiã proposuit, nõ jactavit. Interim cogitabat, superbè insanire illos, qui neglecto animo, ornãt parietes,

* *Seneca.*

ctes, & dorſum. Et tamen contempta Majeſtas, plurimum illi reverentiæ, plurimum peperit Majeſtatis. Nemo Ducem modeſtum, qui non venerabilem ſimul conſpexit. Quisquis enim intuebatur vultum, equidem dejectum modeſtiâ, ſed fulgentiorem, quàm adſpici conſuevit inter homines, ſubitò velut Numinis aſpectu, attonitus hærebat. Prorumpebant lucentes, & teneri invitæ virtutes, emicabant frugalitatis notæ, radiabant inſignia continentiæ, ardebant comitatis faces, & rarum in homine bonum, humanitas, quæ omnia ſplendorem Duci plùs, quàm mortalem affundebant; tota demum in fronte demiſſa, ſed cœleſti, in vultu placabili, ſed accurato, in ſuperciliis non efferatis, magnificis tamen pietas excubabat. Dicam: ipſemet ſe DEVS, cæleſti quodam colore depingebat. At quantùm decoris? quantum ponderis, gravitatisq; accreſcebat? Quæ FRANCISCO in publicum auctoritas? obſervabant Principem Principes, mirabantur populares, ſtupebat vulgus, ipſi parietes aulici, tanquam Numen, fauſtumq; Genium palatiorum ſuſpiciebant. BORGIAM omnium voces, omnium admiratio notare: illum ſecretò; illum palàm univerſi ad ſuperos efferre. Tunc conſtitit, auguſtius nomen, nominis contemptu, quàm ambitu parari.

Quid plura? didicerat è sensu Philosophi, beatū non eum esse, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit; sed illū, cui bonū omne in animo est; qui fortunâ magistrâ utitur, seq; ad illius componit legē, cui mētem nulla vis excutit, certusq; judicii, inconcussus, intrepidus sic vivit, ut postquam fortuna, telum, quod habuit nocentissimum, vi maxima inrorsit, eum pungat, non vulneret. Didicerat hoc, (inquam) idcirco adamante, necnon Marpesiis cautibus solidior, sic steterit contra aularum æstus ut in eum, quibus humanum genus debellatur, grandinis more dissultarent, quæ incussa tectis crepitant, sed solvuntur. Poterat oppugnari sæpiùs; expugnari nunquam. Eam mentis constantiam vibrabat, non tantùm contra infortunia, vel æmulorum studia; at etiam contra blanditias, quarum major est non rarò vis, quàm fortunæ inclementis, aut inimicorum. Siquidem plerîq; adversis non dejecti succubuerunt assentationibus, pejusq; fuit mulceri, quàm percuti. Hinc cùm nonnemo ex fortunatis queratur: ecce tota mihi vita mentitur! ille mendacia hæc risit, imò aversatus est, quòd non ignoraret, ejusmodi nectaria venenis atrociora esse, & tam ingentem hostium turbam intercedere, quàm in-

gens

gens plaudentium populus obversatur? subdolas fallendi artes, blandiri Principum fortunæ, non Principibus. Nimirum, dum blandissimi hostes amicorum vultus induerunt, tunc aut labes Quiritum suorum dissimulant, aut (quod deterius, nocentiusq; est) vitia sub virtutum nomine obtrudunt, ut temeritati fortitudo, ignaviæ moderatio, calliditati prudentia, luxui liberalitas; verbo, cuiq, sceleri, nomen sit virtus. Interim deceptos ipsamet fallacia delectat; dum tales se mirantur, quales finxit assentatio. Proinde corrupti lenociniis pollicentur criminibus apotheosim, flagitiis decus æternum. At verò BORGIÆ nemo blandiri, nemo gratias mercari effictis plausibus audebat. Sola se probabat virtute, quisquis placere vellet. Et tamen (quæ optima imperandi regula est) sic obstinatum contra assentationes animum, moderatio temperabat, ut clementiam non asperaret. Adibat tribunalia? sed non velut Rhadamantus, aut quispiam rigidioris censuræ judex, qui tantùm rotas Ixionis, Promethei vultures, Sisiphi saxa, Tantali sitim, Perilli tauros, equos Diomedis, aras Busiridis decerneret. Litigantium causas excipiebat? sed non velut Iupiter, qui tonaret, fulminaret, permisceret omnia. Monstra flagitio-

rum Lernels atrociora emergebant ? ille non more Herculis obviàm ibat, qui subitò manu serpentes elideret, hydras quassaret clavâ, leonibus detraheret cutem, Stymphalides ingratis abigeret crepitaculis. Tyrannicum constaret esse dictum : oderint, dum metuant; terrores odiis parare, immanissimum facinus credebat. Quamobrem, dum sic imperabat, tanquam impetraret; cùm licentiam castigato vultu, & gravi supercilio plectebat, pœnis quandoq; , sed mitioribus compescebat, ajebant sontes emendari :

Non ulla nocendi
Tela, nec infecti jugulu civilibus enses ;
Non odium terrore moves, nec frena resolvit
Gratia, diligimus pariter, pariterq; timemus.
Ipse metus te noster amat.

Omnem ergo licentiam composuit lenitas, & aula instar sacrarij fuit. Certabat cum imperandi majestate, facilitas obsequendi. Advocabat servitia ? aderant : imperabat ? citiùs fiebant jussa, quàm imperarentur. Nutus pro imperio, metus non placendi domino pro supplicio fuit.

Tantum de optimo Principe peroravi, ut si eum nascendi fortuna, imperatorii favores ad fastigia non subvexissent, virtus à fortuna titulos extorsisset : & necdum admi-

* *Claudianus.*

admiratus ſum munificentiam, quâ literas promovit, quâ fovit literatos, didicerat, nihil æquè indignum eſſe, quàm ſi inculta mēs ad clavum ſedeat, & magnam claſſem moderetur Typhis, qui nec aſtrorum vias, nec maris ingenium, nec ventorum pugnas, nec inſidias ſcopulorum perſpexit. Nec item latuerat BORGIAM, Provincias, non magis ferro, quàm literis defendi: ſolas eſſe Muſas, quarum beneficio ſecernimur à fæce barbarorum. Et barbaries, arcus, haſtas, gladios, tractat; ſapientiæ monumenta, ſolùm melior populus, & reliquiæ ſæculi aurei. Proinde Muſas, primò in caput, deinde in ſecretum Ducale, familiariter admiſit; ut quēadmodum inter Principes Princeps, ſic inter erudita ſapientûm concilia ſapiens verſaretur. Et pulchrum erat, purpuram ſapientiæ monumentis impalleſcere, tiaram non magis capiti, quàm limatæ eruditioni incumbere. Exiguum videbatur, cum mortuis tantùm loqui, & tantùm ſinu Ariſtotelem, manu Platonem, oculis Tullium, cæterosq; ſapientûm proceres terere, verſare, complecti, vivos autem negligere, & quaſi ſepultos præterire. Vt ergo literis ſenium, & ſqualorem demeret: ingenium contra inopiam tutatus eſt: eruditos beneficiis, velut indagine concluſit, latentes, ſeq; ſuā

tantùm virtute involventes, è tenebris extraxit, & inopiæ intercessit. Alibi sacras Religiosorum ædes, alibi Academias excitavit, congiariis ditavit, repetitâ largitione obruit, & sæpe non exspectantibus repræsentavit, quod à superis duntaxat poscere, audax votum crederetur. Nemo Principe hoc ex iis, qui ingenio censentur, queri potuit: vulgus sumus, & sine nomine capita! quid juvat erudiri? Siquidem è FRANCISCI ærario, veriùs, quàm è cerebro Iovis, Pallas nascebatur. Rectè! tu literis spiritum addidisti, ô Princeps! literæ tibi æternitatem inspirabunt. Ibit in fastos, BORGIAM non depressisse capita erudita, sed jacentes Musas erexisse, sed nomen eruditionis penè sepultum, in lucem protulisse. Princeps ista! neq; enim totum BORGIAM dare licuit, qui minima sui parte fastos, & ingeniosa monumenta implet. Accipite Quirites ideam, vel (ùt populari vocabulo dicebatur) miraculum Principum accipite. Ille castigatam principis domus faciem exhibuit, ille otia negotiis, theatra sanctitate, pietate ludos temperavit, ille vitam ac spiritum reddidit virtuti, quæ in palatiis languebat, tantùm non exspiraverat: ille Musas exemplo veterum Principum revocavit, literatos Ducali ære instruxit, ille deniq; omnia virtutum

nomina, nè probitas infra fortunam ſerperet, animo contraxit. Plura deſideratis? addere FRANCISCUS non poteſt, vos additis? ſi veſtros mores, aulasq; è FRANCISCI moribus compoſueritis. *Dixi.*

ORATIO VNDECIMA:

Honorata contemptu honorum Modeſtia S. FRANCISCI BORGIÆ.

HOnoratam ipſomet honoris contemptu modeſtiam ſi nemo uſpiam conſpexit, BORGIAM illi objicio. qui ſua cum fortuna ſic rixatus eſt, ut eam perpetuò quaſi hoſtem oppugnaret; itidem, quidquid ſub nomine, aut faſtûs, aut dignitatis, aut fortunarum incedit, totum id virtutibus edomaret. Quàm pulchrum illud in duello par gladiatorum emicuit, BORGIAS, & fortuna! uterq; ingens ad bellandum, & fortiſſimus ad vincendum uterq;. Fortuna etſi cæca ſit; tamen non Andabatarum more, & confligit, & vincit. Rotam circumagit, ut animos in tranſverſum rapiat; & rapit. Rarus eſt qui inopiam velit, dum facultas ſuppetit habendi. Rarus item, qui noctes adamet. quando ſol ex felicitate affulſit; pariter, ſi mol-

mollia voluptas porrigat; quàm pauci cruidam virtutem amplectuntur! Animus etiam blanditiis titillari, quàm asperis exerceri mavult, & quasi unicum non jacentis animæ decus esset, pabulumq; fama, gloriæ cupiditate incalescit, infra quam non modò opes at etiam vitæ usura jacet. Ista est fortunæ hostilitas blandiendo vincere. FRANCISCUS cum hac quoq; potentia colluctatus est: sed colluctatus est. Nimirum stetit in fastigio contemptæ felicitatis, & risit scenicum mundum, populosq; in prosperitate theatrales: risit etiam fortunam, quamvis arridentem. Et istud est telum contra blandimenta fortunæ acerrimum, insultare speciosis. At quanto istud gloriæ proventu? quò plura generoso pede protrivit, eò sublimior eminet FRANCISCUS. Credite: nec è natalium claritudine, nec è purpuræ, & tiaræ fulgorib⁹, nec è dignitatū pompa tantum decus collegit, quantum ex ipsismet noctibus vitæ modestioris, & secreto, quod captavit sepositus à strepitu mundi, ab assentatione popularium, à buccino famæ loquacis. Honoratam ergo ipsomet honoris contemptu modestiam demonstrabo; & facilè quidem, si magne Auditor eam apud Te merebor benevolentiam, quam laudaturus BORGIAM, ab iis spe-
rare

tare poteſt, qui Borgiæ ſtudent.

Non poſſum iſtud conſequi oratione, priusquàm breviter expoſuero magnitudinem fortunæ, titulos dignitatum, opum immenſitatem, quæ Principem noſtrum copioſiùs circumfuderant, quàm fugaces aquæ Tantalum, aut radii ſolem. Quantus ille ex Atavis? Principum, Ducum, Regum, Imperatorum Nepos, tantundem gloriæ hauſerat ex univerſis, quantum magni ſanguinis. Ipſe etiam Dux Gandiæ, Catalauniæ Prorex (ut alia mittam vocabula dignitatum) tantùm ad imperia populorum vivebat. Nam aula Cæſaris, ipſe etiam Cæſar, proinde regna, ac provinciæ, vix non univerſus terrarum orbis ex nutu Borgiæ ſeſe componebat. Belli, & pacis Arbiter credi poterat Franciscus; ſiquidem utrumq; Carolus V. velut ſinu circumferebat, dum per maria, terrasq; veheret bella, ſpargeret triumphos. Quidquid enim præliaris Cæſar manu, & ferro decernebat, totum id Borgias primò conſiliis agitavit. Indè magna illi non in vulgus duntaxat, ac etiam in Proceres authoritas. Quantæ item opes in æraria Francisci navigarent ex orbe alio, fruſtra exponam; cùm ob unius theſauri opulentiam tot populos curæ fatigarent. At ille plenus animi, ſuiq; locuples, male-

bat

bat contemptu opum ditescere, quàm opibus, quàm censu provinciarum. Itaq; splendida illa malorum irritamenta, & quidquid immensæ ambientium cupiditati non satis est, generosè contempsit, mundum universum ex animo, sinuq; excussit, ad Ignatium convolavit, ac illo Duce, illo Magistro, & laudatore ex omni felicitate nihil sibi retinuit, præter fortunarum, suiq; contemptum, hoc uno se beatum arbitratus, quòd posset tantum aspernari. In tali arcano (dicam potiùs sanctitatis aram) quasi in acie constitit, dimicaturus contra se, & quidquid, aut mundus est, aut honor. Summi ad latentem fasces convolabant, sanctior purpura offerebatur, Galeri purpurei ultro in caput ruebant; ut qui nuper Princeps fuerat, jam Principibus major, jam Regibus par consurgeret; sed FRANCISCO obstinatum fuit, sui Principatum, regnaq; bonæ mentis potiùs invadere, quàm magnifica titulorum nomina, quæ nutriunt fastum. Subinde in-
" geminabat sibi gravissimus virtutum exa-
" ctor à seipso; Ideonè Principem exui,
" ut Principibus superiorem, æqualem Re-
" gibus, sanctitas quæsita fingeret? in hoc
" modestiæ domicilio titulos patiar, & tan-
" tùm dignitatum nomina permutabo? Nō
" sum nescius, sacram esse purpuram, pro

qua

qua nescio, qui bombyces se eviscerant, „
qui fullones sudant. At didici omnem „
purpuram veneno tingi, Tyria sit illa, si- „
ve Laconica. Sunt quos isthæc togæ „
Sanctitas ita consecrat, ut sub murice, „
ostroq; animi candor lateat. Hos ego „
laudare possum, non possum imitari. Ita „
BORGIAS etiam Sanctitate purpuræ modesti-
am violari, tantùm non profanari pietatem
censebat! ita calcavit mortalium fastum,
at sine fastu! Siquidem seculum suo seculo
sic reliquit, ut extra mundi terminos exiisse
videretur, dum iret post IGNATIUM. Prin-
ceps si quando diceretur ab iis, quibus pla-
cet superbia nominum, totusq; ex titulis ho-
nor est, ita pudore suffundebatur vultus;
quasi probra injicerentur: ita stimulis pun-
gebatur animus; quasi cor ipsum intimo vul-
nere confoderetur. Cæterùm nusquam subli-
miùs eminuit, quàm dum ita se dejiceret.

Sic enim in universum disputare libet:
nullum ornamentum, Principis fastigiis per-
inde dignum pulchrumq; obvenire, ac tia-
ras illos, illas opes, dignitates illas, quas ul-
tro fortunæ inconstantiam præveniendo con-
temptor animus abjecit. Non arma hosti-
lia detracta victis, non currus sanguine bar-
barorum cruenti, non bello parta spolia,
non tributa, hinc, inde, collecta, non cu-

rules

sules vectæ albentibus quadrigis, humerisve populorum, non fascibus illigatæ secures. Quando enim populus admirator Dominos terrarum adorat, quia divitiis tument, vel honore tolluntur: dum Proceribus plaudit assentatio, quia nihil ad latus augustum aberrat, quod magnificentia non commendet; tunc felicitatem magis suspicit, quàm ipsosmet Principes. Interim jactantur voces: hic subegit regna, domuit hostes, titulis nitet, opulentiâ cumulatur. Heu quantus ex alieno! At verò, dum ultro se potentia depressit, & modum fastui posuit moderatio; tunc publica admiratio consentit in plausus, faustaq; admurmuratio palàm circũvehit: iste propriã domuit arrogantiam, & habendi libidinem in triumpho ducit. Quid tandem? externo cultu posito claret se ipso, & ex obscuro colligit serenitate. Magis admiramur in Principib⁹, quæ contépsit animi moderatio, quã ea, quæ ambit⁹, aut tenet, aut venatur. Terræ, & fluminibus eripitur, quidquid avaritia divitias vocavit. Ventosa opinio pretium dedit dignitatibus: contemptus horum nascitur intra animum, ut in consortium DEI, affinitatemq; immigret, quisquis naturam ad obsequia non sollicitans, sufficit ipse sibi. Quæ cum ita se habeant, non sejunctis contemptos à BORGIA honores
in-

in faſtigio honoris ? Non ille altiùs conſurget, quàm Cæſares ſublimibus vecti curribus ? quàm ille, qui orbem pæne univerſum ſubjugavit, & adhuc plures, quos vinceret, inſana votorum cupiditate agitavit ? Credite : ardua illa, ſed virilis, quam ingreſſus eſt, via, mortalitati Ducem eripuit, & in illum editum verticem eduxit, qui extra omnem teli jactum ita ſurrexit, ut ſupra fortunam emineret, omniaq; faſtigia FRANCISCO decreſcerent. Vnus ille (quod magis admirer) tãtũ honoris, intra exile temp⁹, conſcivit, humili ſecreto, & pauperi caſæ, quantum tota Borgiarum etſi illuſtriſſima, æterna ferè propago, tot ſæculis, bello, pace, in utraq; purpura non collegit. Addam : nulla ætas, ex quo ſol terras aſpexit, & mortales mirari potentiam cæperunt, tantam aut divitibus pompam, aut Dominis Majeſtatem opulentia peperit, quantam Duci noſtro tenuitas rerum, nec non ſponte quæſita obſcuritas. Vidiſtis animas ſuperbia tumentes, & ultra mortalium fortunam, tantùm non ſuper omnia luctantes ? ùt eos pingue otium emollit inter deſides populos ! ùt aura popularis per aures, per ora, per oculos vana mirantium, vel ſimulantium ſingula, tumidos prætervehit ! ùt palatia ſtruũt, quaſi cælos terreſtres ! ùt parietes marmoribus,

& metallis variant! ùt in hortis natura cum arte ludit, ubi & arborum superba novitas assurgit, & fontium, ac fluviorum fuga murmurat? Semiramis, vel Cleopatra fœmineo fastu vix plura exhibuit, quàm viri molles. Si deinde videre libeat, onustas damnis fluminum, terrarum, àëris, & sylvarum, naufragas item mille crateribus mensas, putabis, dum gulæ unius serviunt universa, quòd omnia vorare elementa, universam deglubere, aut haurire naturam velit epulo, etsi non esuriat, sitiatq́; . Ita arrogans orexis superbè esurit; & fastuosè sitit, non tàm ardor, quàm jactantia; ut plus superbiæ intra mensam videas, quàm famis, sitisvè. Quæ insuper plaudentium agmina strepunt? qui famulantium exercitus cingunt latus? Xerxem à tumulo, aut potentissimum quempiam bellatorum, ab subigendas gentes, ad evertendas urbes, crederes emersisse. Quorsum hæc? admiratio populi, & plausus vulgi emitur tot impēsis. Mercantur gloriam vani emptores, ubi tantum prodigunt. Mihi autem securè licet exclamare: heu vanū delusæ mentis monumentum! heu falsi honoris ludicræ imagines! heu ruitura mentientis famæ simulacra! non pullulat verus honor ex inani pompa, & ambitu. Postquam omnia fatigata sunt ad jactantiam, à

sapi-

sapientes exprobant luxum, arrogantiam damnant, probris, ac etiam sannis superbum gloriæ quæstum castigant. Si quid autem admirationis, plausuumq; admurmurat; vulgi, aut vanarum mentium, susurrus est, qui non modò non consecrat nomen, at etiam infamat. A vilibus laudari, vile elogium est.

Consultiùs egisti BORGIA, cui constitutum fuit veram duntaxat gloriam parare. Dum ruberet purpura, non provocavit vilium ingeniorum oculos, nec vota, plaususq; mobilis vulgi irritavit pompâ. Principē egit, non scenā Principis; posthæc neq; Principem. At tantò sublimiùs extulit se Borgiarum nomen, quantò demissiùs mens illa cælestis proreperet. Quis luxum Sardanapali, in metallis animat? frugalitas BORGIÆ spirat in auro, in argento vivit. Fulminantem è gemmis rarò videas Iovem: BORGIÆ humilitas, jam pænè gemmea est. Insculpitur divitibus saxis paupertas Principis, & sine purpura, sine tiaris, sine divitum fulgore illustrissimus est. Cùmq; fatua tumentium Majestas, Averno tantùm ad pœnas excipiatur, abjectio BORGIÆ meruit aras. Iactat se per simulacra marmore durata, & pigmentorum nobilitate vestes laceræ sarciuntur. Nimirùm astra dies abscondit, pænè sepelit: tenebræ produnt serenitatem. Ecce

nim, quæ ſole radiante pallebant ſidera; nocte concubia, imò profundiſſima ex obſcuro nitent. Coloſſus item magìs eminet, dum monti impoſitus eſt. An mihi quoq; de felicitate contempta, deq; illius contemptore BORGIA cogitare aliud fas erit? Certè ſidus illud BORGIANÆ ſtirpis tum maximè illuxit, cùm undiq; adſcitæ noctes umbras colligerent, cumq; ſupra fortunas & calcatos ſæculi faſces FRANCISCUS ſtaret, tum ſe maximè, ad gloriam erexit: tantòq; quantò plura ſternebantur, quibus ille ſuperſtaret, pedibusq; protereret.

Non equidem ſolus BORGIA per ſtragem titulorum, per fortunæ jacturam, ad immortalitatem nominis graſſatus eſt; exemplis profecit, quæ tam mihi depromere prolixum eſt, quàm glorioſum iis, qui ad ſervitia DEI, ab imperiis; ab opibus, ad egeſtatem: ad crudam virtutem à voluptatibus tranſierunt. His ego inſcribam, quod famæ per terras evaganti, Maro; * *Ingrediturq; ſolo, & caput inter nubila condit.* Cur non idem inſcribam tibi FRANCISCE? certè, dum imperia ſperneres, imperaviſti fortunæ, totum Te ſuperis permiſcuiſti animo in ſublime porrecto. † *Hìs Te minorem*

* *Virgilius.* † *Horatius l. 3. Lyr: Od: 6.*

norem tùm gerit, imperat; * cùmq; *virtus nil indiga laudis* se recondat, *invitam blandè vestigat, & ultro ambit honos.*

Macte animo Borgia: Princeps es absq; Principatu, fastigia honorum tenes, postquam te omni honore exuisti. Infra Te jacet, quo tolluntur animæ fastuosæ, & dominantia nomina tument. At ambitus non consecrat: consecrat contemptus. Habet æternam virtus ista memoriam, jamq; pernotuit in exemplum, in quod difficillimè ambitio proficit. Ibit pleno gradu ad posteros, laudemq; perpetuam calcatæ felicitati secum feret, quòd Borgias ultro se è fastigio rerum deturbavit, cùmq; titubabunt Principes superbi, & suos proceres potentia relinquet, in tuto eminebit honorata contemptu honoris modestia. *Dixi.*

ORATIO DVODECIMA.

ADMIRANDA S. FRANCISCI BORGIÆ SVMMISSIO.

NEmo Borgiam laudare potest citra gloriæ jacturam; cùm ipsamet laudatio sit dispendium laudis. Quid enim? stylus inferet se per avita Borgiarum Nomina, & in-

* *Claudianus in Theodosio.*

in censum gloriæ ſtemmata computabit? major ex virtutibus fama ſucceſſit: cunabula ſunt fortunæ donum, probitas decus, partusq; animæ. Igitur tantò glorioſius eſt eminere virtute, quàm natalibus, quantò præſtantior animus cæteris, quæ mortalibus aut natura contulit, aut fortuna. Iterum ipſas inter virtutes certamen quoddam, & duellum calet. Memorabo juſtitiam; offert ſe religio; hanc extollo; prudentia ſe ingerit; prudentiæ laudes adornare libet; ſtylum expoſcit frugalitas, quæ ita Principis vitam temperaverat, ut cibo, potuq;, ac etiam ſomno, in vitam uteretur, non in voluptatem. Frugalitas celebrabitur, jam illibatus animi candor, jam effuſa in uſus egentium munificentia, jam cæteræ ſine numero, non ſine gloria, proferunt ſe, ſed proferunt ingenti agmine virtutes. Credo ego, dum volante ſtylo perſtringam iſta; Te ô maximum Gentis Borgianæ Sidus tantùm non pallere etiamnum; & ſi inter æternos ignes mens illa DEO plena radiet, ipſos quoq; cineres, ſive intra marmor ſepulchrale decumbant, ſive intra gemmas aut Principum, aut templorum adorentur, moveri, concuti. Ille eras, cùm in humanis ageres, ut animum populares plauſus atrociùs torquerent, quàm ſuus Perillum

tau-

taurus; quàm alium Diomedis equi, aut
aræ Busiridis. Nihil æquè fastigio Princi-
pis convenire arbitrabaris, ac fortunæ mo-
dum imponere, deinde magnitudinem ani-
mi domare despicientiâ Tûi, & supercilium
infra titulos dejicere. Quæ cùm ita sint,
non evoco manes sanctissimos ad ingentium
elogia, nè animæ illi, gravis sim encomio,
quæ omne encomium despexit in vivis. Quid
ergo? taciturnitas adorabit BORGIAM? ab-
sit. Non decet incurios esse eorum, quæ
laudabiliter antiquitas egit. Per singula i-
bo? innumera sunt, & modestiam, quam-
vis extra ictum arrogantiæ constitutam la-
cessunt. Quid itaq;? geram morem San-
ctissimo Principi, moderationi suæ stylum
attemperabo, atq; ea tantùm delibare mo-
destè placet, quæ Dux noster modestissime
egit.

Non errabo, si dixero, BORGIAM vi-
xisse in contumeliam fortunæ. Privatis æ-
dibus (si tamen privatæ queant dici) te-
nebatur? contendit cum titulis, & hono-
re domestico. Nihil hìc ad fastum, omnia
quæ moderatam decerent potentiam, è te-
ctis, è parietibus, ex omni aulæ paratu e-
micabant. Augustale Caroli V. quasi ge-
nius quidam faustorum penetralium incole-
bat? non è supercilio, quale felices fingūt,

& attollunt, sed ex Ducali animo noscebatur. BORGIAS erat, quicunq; in aula occurisset, facie quidem, qualis Principum est; at oculis, ipsis veluti ejaculantib' DEVM, & magnificam pietatem spirante vultu. Talis erat aspectu ipso, ut & sanctum spiraret, & Ducem, cùm non plebeia, neq; vulgaribus notis proderet se pietas; verùm ipsam animi, superciliiq; demissionem, arcanus quidam virtutum nitor vibraret, ipsaq; modestia Principem probaret. Didicerat, quòd timeri, non esset Majestas, sed immanitas; ideo non tonare voce, non fulminare nutibus, non ementito ad terrendos populos vultu comparere, non virgas, in terga, non & secures in colla populorum expedire: gravissima facies, & frons digna Principe, plus agebat, quàm aliàs dispensati, per supplicia, & arrogantiam terrores, aut furiosa lictorum imperia. Quod si Scenæ serviendum foret, & in Procerum Corona agere Principem; non defuit FRANCISCUS magnificentiæ. Sic tamen, ut omnis pompa cum demissa mente consentiret. Dicam de Principe inter aulas, & aulicos FRANCISCO, quod de Catone alius: * *Homo virtuti simillimus, & per omnia ingenio Diis quàm hominibus propior, qui nunquam rectè* (addam ego

* *Velleius Paterculus l. 2. c. 35.*

ego) nunquam magnificè *fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat.* Id solùm BORGIÆ visum est rationem habere, quòd haberet modestiam. Omnibus humanis vitiis immunis, fortunam in sua potestate tenuit; nè speciosum istud malum insolesceret, nève animum traheret in fastum gloria. Quoties enim in augustali videbat magnificentiam (videbat autem perpetuò) in se ipsum secedebat, tùm in sinu convitiabatur opibus, cultum palatii cavillabatur, honoris insignia contumeliis onerabat, perinde atq; irritamenta malorum, aut levia puerorum crepundia. Quantum auri & argenti, & quidquid felices domos onerat, tanquam pudorem soli, dieiq; facturum radiabat: ille intra animum ridens, interdum lacrymâ perfusus, ajebat: „ O curas hominum! ô studia mortalium! „ aurum diligitur, quæruntur gemmæ; in- „ terim jura DEI, hominumq;, tantùm „ non omnia, cupiditas evertit, ut pars re- „ rum vilissima opes congerantur! Quid „ enim ista, nisi terra exusta sole? formam „ deinde auri si expendas: pallet quasi ter- „ ræ cadaver: argentum candet; idem „ ferro, & chalybi idem color est. Neq; ceras aut fumosas Majorum imagines intueri poterat, quin exclamaret: Quæ ista Pro-

" cerum pompa? quæ gloria nobilitatis?
" ceræ sunt monuměta æternitatis? ô quam
" res fluxa! velit, nolit, fatetur superba
" mortalium gloria, se nimium esse mo-
" mentosam, fragilem, caducam. Ceræ
" dum ardent, diffluunt, & cum illis cerea
" majestas. In aliorum decora non inqui-
" ro, ut suum cuiq; de gloria domestica
" judicium relinquatur. Verè an inani fa-
" stu quis attollat cristas, expenderit. In-
" signe meum & si avitum sit, rideo. Quid
" enim? Stemmatis insigne Taurus, utiq;
" rude animal, & quod natura vel ad ara-
" trum, vel ad macellum condemnavit.
" Ego è stabulo proferam monumenta? &
" ad gloriam jumenta in annulis, gemmisq;
" incidam trabeatus veluti bubulcus? Si
" tamen bruto vili nobilitas quærenda est;
" cadat DEO victima. Fumosæ præterea
" jactantur imagines, ut inde splendor No-
" mini captetur. Heu quàm multas infu-
" mat, vitiatq; mentes fumus hic! mihi
" autem lacrymam elicit, ut Scenico ho-
" nori illacrymem. Hæc egerat, & nec-
dum erat IGNATII comes, nec-dum se in ob-
scuro sepelierat; nisì quòd arcana, cæloq;
affixa mens solitudinem ubiq; sibi fabrica-
ret. Dicam tamen, acta hæc, quamvis in-
gentia, præludia fuisse vitæ modestioris.

Par-

Parcite Auditores: non ibo per innumera virtutum exempla, quæ BORGIAS exceptus parvis IGNATII penatibus abunde exhibuit: cælestem in terris vitam non evolvo: totam intra cælos, DEVMq; animam non describo: non recenseo supplicia, quibus propriam sic afflixerat innocentiam, ut Tantalus inter mensas, Ixion aut Tityus inter somni necessitates, & naturæ luctam, omnes inter actus, universas Poëtarum fabulas de infernis, excitâsse, quodq; illi de quibusdam finxerant, totum BORGIAS in se exequi, & figmentis adstruere fidem videretur.

At quò se detorsit Oratio? ærumnas quarum ultroneus ipse sibi auctor exstitit, recordior? quasi verò demissionem animi, jam satis admiratus fuerim. Revoco stylum. Vbi jam purpuram, & Principem exuit FRANCISCUS; ipse sibi, fortunæq; veluti emorienti parentavit. Induit ergo ducale dorsum pulla veste, tanquam horridis tenebris diem medium: omnem ab augusto latere pompam, & aulæ strepentis jactantiam submovit; demum à palatio, quasi ab infami naufragiis charybdi recepit se in angustos lares. Frigidæ mentes, & quibus ex ambitione, fastuq;, tota coalescit gloria, exstinctum BORGIAM, non subductum ere-

di-

didere. Ille in turbido putabat esse, quidquid in luce est, & spectaculo mundi; proinde ex tempestate in tutos delatum se, expositumq; portus arbitrabatur. Hic jam totus in curas animæ, in lucra virtutum effundi, tantùm non prodigi. Pulchrius illi videbatur, pavimenta everrere, solum lambere, excutere pulverem, in se desævire, sepeliri in umbris; quàm regna parere, populis jura dare, attolli curulibus, rubere purpuris, in sole vivere. Non eget virtus theatris; nec sibi pretium ex fama colligit; meliùs in obscuro educatur, quàm, si circumfusa radiis jactet se in spectaculo, aut luce publica. Interdum humeros, quibus cælum incumbere poterat, si illud Atlante eguisset, bruto ferendo subjecit; sed tulit gloriam, portabitq;, quamdiu pretia virtutum, non levi calculo expendet orbis: interdum lacte delato, caput, humeros, togamq; perfudit; sed illustrior, quàm si auratis micaret filis, vivis coruscaret gemmis, multo arderet cælo. Color virtutis, & candor, quo mens incanuerat, se ex animo expresserat, ut in vestem quoq; effunderetur. Et sic modestia (nam cælos levi etiam obsequio mercamur) Borgiam Divis candidatum exhibuit.

Forsitan subigere corpus, durisq; pati-

en-

entiam experiri, non adeò grave est: animum premere, injicere frænos ambitioni, gravissimum, atq; vix Principis. Quos feliciora foverunt cunabula, in altum erumpũt, non secus ac flamma, cùm se ex infimo reponere in sublimi luctatur. Francisco prõptum erat, non modò in curas abjecti operis incumbere, sed augustam illam mentem deprimere, honores rejicere, & se inter vilissimos recensere; imò & in publicum, nisi dedecora proferre. Quisquis enim Principem appellavit, mox purpura in vultum ad titulos, quasi ad crimen fortunæ erubescentem, enatabat. Adeò immane votum, crudelis precatio fuit, vel modestà fronte Borgiæ apprecari tiaras, quas ille tanto ambitu detestatus est, quanto nec ambitio regna appetivit. Cælum blãdiri semel Borgiæ volebat; sed quia Duci, lusit coronis. Itaq; laboratam è radiis tiaram, ita suspendit ex alto, ut rectà, è longinquo tamen capiti immineret. Nam & si cælestes, verebantur tamen modestæ fronti se imprimere coronæ. Quis hìc Borgias? quæ voces? Et cælum (inquit) „ inimicum modestiæ, nec Divis credere „ tutum? Fugio honores, subjicio pedibus „ quod ornat capita: sed cùm evici terras, „ superest, ut contra cælum dimicem. Certè „

tè

"tè neq; à cælo munera acceptare libet,
"dum offert coronas. Hostis mihi est,
"quisquis despondet tiaram. Tantum i-
"gitur abest, ut superis imputem hostilia,
"dum coronare volunt in humanis agen-
"tem. Augustissimè comparebo Numini,
"si nudam frontem tulero: miserè, si co-
"ronatam. Nempe serviles arbitror co-
"mas, quæ illigantur tæniis, etsi Princi-
"pibus: liberrimas, quæ tali vinculo sol-
"vuntur.

Per singula abire, quis valeat? expeditius fuit Francisco, & se, & fortunam deprimere, quàm Oratori d promere universa. Reptantem ergo per infima modestiam, cùm repens Oratio assequi non potest, potest incusare mortalium fastum. Quò ruis ambitio? invadis fastigia? per summa te jactas? & adhuc nomina consectaris, ut jam neque vocabula sufficiant ad titulos. At Borgias nè Principis quidem nomen ex omni fortunæ paratu, ad secretum sanctius deduxit. Quid agis superbia? quò eluctare fastus? ultra cælum niteris, cùm nec terras mereare. Tandem submitte cristas, & cùm Borgiam inter exempla modestiæ repones, disce aliquando tumor insane detumescere. *Dixi.*

ORA-

ORATIO DECIMATERTIA.

AULÆ SANCTITAS SEU S. FRANCISCUS BORGIAS in aulis incorruptus.

IN palatiis virtutem, faustis sub penetralibus sanctitatem, si quisquam cernere exambit, BORGIAM cernat. Princeps is, & Aulicus; sed pius, sed incorruptus. Et aulam ditissimâ supellectili, & animum virtutibus instruxit. Sub purpura candorem, inter opes, animi opulentiam, ita cumulavit, ut jure ambigas, ditior fuerit, nobiliorq; an sanctior? Nec animum Principis, nec mores afflavit; quæ multos infatuat fortuna, aut delinquentium exempla. Grandem itaq; pro aulis, & aulicis fecit (vel si dicere licebit) vixit apologiam. Credebat enim orbis, non ille duntaxat, qui suæ calamitati plaudendo, paupertate infortunia solatur, malè convenire aulis & pietati, opibus & innocentiæ; quasi solo sub centone probitas delitescat; nec liceat integritate effulgere, nisi quem fatorum inclementia ad obscuros penates, penè ad te-

ternis noctes, condemnaverit? Credebant (inquam) non vulgares tantùm animæ; aut ii, qui ex abdito sanctitatis, humanarum rerum æstus intuentur, ut evitent: qui blanditias mundi, jactantiam prosperitatis, ideo solùm aspiciunt, ut despiciant, aulicam non posse esse virtutem: sed ab iis etiam malè vapulavit fortuna, quos fecit fortunatos. Nimirum percrebuerat, in palatiis tantùm vitia nutriri, purpuris mores indecoros tegi: raro hic ut fortunam, ita morum innocentiam consenescere: verùm ambitione modestiam, parsimoniam luxu, calliditate, & fallendi artibus, innocentiam pessumdari, everti, profligari; incautam simplicitatem astu, quasi fluctibus jactari atq; absorberi: eò quòd inter arcana aulæ primum habeatur, ex occulto insidiæ; tantòq; civilior censeatur, quantò quis promptiùs ad nocendum ingenium, & mendacem opportuniùs frontem proferet. Dormienti faciliùs fidendum mari, quàm studiis amicorum. Nullam hic prorsus fidem exstare, persuasum est, nihil uspiam sincerum; cùm vel ii maximè fidem violent, qui eam maximè obligant, & se amicitiæ sacramento devinciunt. Constans (inquam) fama circumtulerat, quòd in Procerum ædibus tantùm piacula regnarent, ut; luxus, ambitio, habendi cupido,

pido, livor omnia confundens, simultates & flagrantissimæ exitii faces, odia; demum quidquid criminis est. Verbo: Augustalia soli virtuti esse angusta, sceleribus patere; omnia hic compta, præter animum; vel si in mores aulicos pietatem irrepsisse contigerit; putant severi Aristarchi, non esse virtutem; sed virtutis ostentationem, sed pulchram probitatis larvam, sed composita incorrupti moris mendacia. At credite Auditores erravit & si publica opinio. Est aulica etiam sanctitas, & in gremio fortunæ nutritur pietas. Tenet sceptrum in palatiis virtus; nè plebeia, & humilium ædium inquilina videatur. Vultis hoc clariùs intueri? in BORGIAM & oculos, & animum transferte.

Ne autem pueriles vagitus, inter gloriæ classica, inter trophæa fascias, pulchros fortunæ casus, inter animi, virtutisq; decora, tumultuario quodam impetu reponam; à cunabulis, gremioq; materno BORGIAM non deduco. Illud de innocenti pueritia, dixisse, compendium laudis erit: Puer agebat negotia virorum, & per ludum ab infantili; innocentia, exigebat veteranam pietatem. Ab exedris excipiebat sacra, mox dicto, gestu, tandem faciendo, ipse sibi & Orator & Concio referebat. Nam assenta-

trix aula, ideo solùm pueri Ducis verba excipiebat plausu, quia Ducis erant, deinde ut blandiretur, parata vitiis quoq; applaudere; Deorum crimina fingere, ut consecret. Rudimenta hæc, & quasi vada probitatis: pelago phasellum committo. Iam mihi palatia, quasi turbidum mare, palatiorum mores quasi Charybdes, aulicorum vita, quasi infames naufragijs scopuli, se se objiciunt. Borgias tamen, ut voluptatem, quæ aulas emollit, frangitq;, animo excuteret, innocentes artus, ipsam pænè innocentiam quatiebat; præsertim ubi suprema ægritudine Mater decumbebat. Lacerabantur membra vix ictuum, vulnerumq; capacia, profluebat sanguis, imbuebat mollia serica non mollis cruor. Ita se pingebat innocentia, crudaq; virtus! At purpuræ venenis tinctæ gaudebant pingi sanguine, cui nihil veneni innatabat. Sed puer ista, cogitatis, imò Borgias. Itaq; non soli pueritiæ imputanda sunt, quæ egit. Nam in aula Cæsaris, in illo vitiorum æquè, ac probitatis conflictu, ita deinceps versabatur; ut quos ex altrice domo extulit mores, nunquam corrumperet. Quo palàm demonstravit, nullum probitati solum esse inhospitale, sed atrocissima etiam tempestate, carinam bonæ mentis securè navigare, & unumquemq; animo

suo

ſuo Neptunum eſſe, aut Thyphin. Et mihi quidem ſingula circumſpicienti, inter cauſas malorum, potiſſima videtur, quòd in turba vitam tranſigamus: magìs autem, quòd vivamus ad exempla, & ex aliorum moribus, ſive integri, ſive vitioſi, ingenium concinnemus. At Principi noſtro nihil concontagionis in mores irrepſit, & ſi in turba viveret. Videbatur ex vitiis colligere virtutem, & tantùm pugnare contra peccantium exempla. Aderant delicati convictores, ſed non enervarûnt Principem; obſervabantur vicinì divites, qui fortunæ induerant frontem; ſed non irritârunt cupiditatem. Maligni comites, quaſi umbræ, lucis corporumq; ſequaces, adhærebant lateri, ſed candido ſimpliciq; pectori, ſuam rubiginem non affricuerunt. Perditæ otio, luxu corruptæ, libidine emollitæ, cæterisq; vitiorum peſtibus afflatæ animæ ſe ſe ingerebant: ſed pio, ſemperq; ſibi ſimillimo Principi, non excuſſit mentem diſſimilis multitudo. Adeò conſtantia tulit impetum vitiorum, quæ tam magno comitatu veniebant! Quanquam, dum in turba, an turbine populorum viveret, ſolus erat, & inter frequentiam, quaſi à mundo exularet, ſeceſſu, quem ſibi cælo affixus animus fecerat, in publico fruebatur. Onerabantur menſæ cupediis, qua-

les sunt dapes quæsitæ fluminibus, ademptæ sylvis feræ, àëri volucres, tantùm non universa natura, unius Domini palato edomabatur. Dux autem virtutis dulcedine satur, inter luxus, esuriebat. Natabant mensæ campano, spumabant falerno, secularis Bacchus, multiplicis & cadi, & nominis affluebat; ille inter hæc naufragia mentiũ, portum sobriæ mentis tenebat. Nervorum, vocumq; cantus personabant; ille gaudebat cælo, & conscientiâ. Hæc illi voluptas, hoc tripudium! Non tamen sylvestri ingenio, crudaq; mente obriguerat Dux, integerrimus ad probitatem; ut asperum cultum, negligentiorem barbam, caput intonsum præferret, aut horridus ex tristi abdito, quasi Diogenes versatili è dolio, prodiret in publicum. Sed delicatam in sericis, purpuraq; ita fovit virtutem, ut non molliretur blanditiis: verùm ducali paludamento, non plebeia probitas vestiretur. Frequentabat quãduq;theatra,num aliquid molle hic, vel efferatum? num affuit spectaculis, ubi cerneret, quæ committi nefas est? aut oculos duxit per libidinem ad nefanda!* Iam quidem ætas illa *strophas agentium, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, scurriles jocos, parasitos sordidos,* in theatris

non

* *D. Cyprianus de spectaculis.*

non propoſuit, nec jam concurrebatur ad obſcænitatis magiſterium; * *ne quid ſecretò minus ageretur, quàm quod in publico diſceretur, & inter leges doceretur, quidquid legibus interdicitur.* Tenebræ criminibus quærebantur. Non rarò tamen eveniebat, ut deſaltarentur fabuloſæ antiquitatum libidines, & quæ ætas abſconderat, ſub oculorum memoriam reducerentur, atq; ſic ad crimina fieret audax ſpectator. BORGIAS ſe meminerat Chriſtianum, † *cui vitia non licet, nec cogitare.* Ab his animum revocaverat, & oculos. Sed neq; cruenta Romanorum theatra placebant. Quæ enim illa feritas ad pœnam hominis feram rabidam nutriri in deliciis, ut ſub ſpectantium oculis, crudeliùs inſaniat. Erudiri artificem belluam, quæ clementior fuiſſet, ſi non illam magiſter crudeliùs ſævire docuiſſet? Quàm immanis voluptas eſt, ſanguinis tantum effundi, ut habeant non gladii modò, ſed arenæ, quod affatim bibant?. Trojani potiùs militaresq; ludi placebant. Vt expugnaret otium, atrociſſimum caſtimoniæ hoſtem, pugnæ imaginem inſtruebat. Haſta concurrere, tela fundere, Parthorum fugam ſimulare, hoſtem eludere, tauros laceſſere, indomitos domare, in gyrum circumagere

 equos

* *Ibidem ibidem.* † *Ibidem.*

equos, & inter hos æſtus, ignem, quo incaleſcit voluptas, opprimere. Hoc viri, hoc Principis credebat eſſe. Sæpiùs certavit curſu, ſemper tamen cum animo habitabat Dux optimus, neq; in hoc ſtadio vel latum unguem, aut à lenitate, aut ab otio, quo ſe cæleſtes tranquillant animæ, diſceſſit. A bellis theatralibus recipiebat ſe ad amæniora; & poſt ludicrum Martem, verum agebat Apollinem, interq; innocentes Muſas, ludebat innocentiſſimè. Arripiebat citharam, fides, ſive digito, ſive plectro, ſolicitabat, eruditum ciebat ſonum, interdum ſacro abreptus furore, ad metra incaleſcebat, ut vocales choros ad numerum inſtrueret. Dignus profectò Pyrrhi gemmà, & ſi quidquam pretioſius gemmis natura parturiat, Apollo talis. Nolim hìc Auditores cogitetis citharædum, qualem Erici ſecundi Daniæ, Regia fovebat. Qui (arsnè illa fuerit, an præſtigiarum delinimenta) quaſi in fidibus, ac teſtudine ſua, humanos affectus circumferret, ita ludendo tractabat (veriùs dixerim) eludebat animos; ut furores nunc, & bella, nunc blanditias, & amores, quoscunq; vellet, concentu imperaret. Molle carmen adſtrepebat? Sirenes canere, Orphei cytharam ſonare, juraſſes: ita vel ferreas mentes ſubita libido edomabat,

bat. Martiale classicum, quali Cretenses & Lydi proludebant Marti, infremuit? Corybantum Furiæ universos exercebant, & molles alioquin animæ, crudo, bellicoq; spiritu animabantur. Prorumpebat fletus, dum ille nænias effleret: mox vel ipsæ lacrymæ ridebant, cùm gaudebat citharædus. Ita fidibus humani trahuntur affectus, & in citharis animæ vel ludunt, vel ingemiscunt. Francisco non hæc modulorum potentia. Virtutis concentum primò instruxit, tandem musicæ; sic tamen, ut fide obsequii mallet Imperatoribus probari, quàm fidibus symphoniacis. Nec amoribus prolusit, nec furori. Infra Principem duxit esse tripudia; quibus leves coryphæi per aurem, in animos Principum delabuntur. Ille aris ludebat, & cælo. In hæc tempora, personat melos, atq; per templa Hispaniæ funduntur carmina, quibus Dux cælo blandiebatur. Si omnes aulæ, ita harmoniam instruerent, omnes cælo, & superis assilirent. Cæterùm inter sacraria duntaxat Principes agere, tantùm affigi cælo, tantùm colludere superis, astra alloqui. & apotheosi continua sacrari, terrarum Numina Principes, ferè piaculum censetur. Privatorum ista pietas est: humili fortunæ solùm tribuitur cælum: Optimatibus & cæli, & terræ,

ræ, cùm usus; tum arbitria conceduntur. Vtroq; gaudent, qui divisum imperium cum DEO habent. Per cuncta se spargit Divinitas Quiritum, & ubiq; integra est. Ergo à cælis revocabat, pænè cogebat animum FRANISCUS ad terras. Campestri spectaculo placuit interdum oblectari; invisere gynæcea necesse fuit. Quis ille in campis? quantus inter mollia gynæceorum oblectamenta? manu mittebat accipitrem, solvebat falconem, nisos expediebat; ibant minorum prædatores nidorum, evehebat se alis in sublime, nubibus permiscebat nomina celeritas volandi. Tum obviam volucrem corripiebat ales, sed ad altricem Domini manum remeabat, in ea & prædam, & libertatem, tantùm non omnem feritatem reponens. Celsiùs Princeps animo subvolabat, quàm volucer pennis. O miracu-
" la (inquiebat) plùs quàm humana! &
" in belluis non bellujnum ingenium! nihil
" hic feritatis præter vocabulum. Quàm
" mitis? quàm cicur anima? exili pabulo
" obsequium paratur. Satellitem fidelem
" facit stipendium leve. Quà campi, quà
" sylvæ sese diffundunt, patria est avium.
" Poterant volando nidos repetere natales,
" potiri præda meliore; quas industria pa-
" reret dapibus, non expectatis vesci: In-

terim

terim redux accipiter è libero in man- „
cipium submittitur, rursum dominatio- „
nis patiens, damnat se, subitq; ad imperia, „
& in officia famuli descendit libens, sci- „
licet missis, & lucro, & licentiâ. Supre- „
mus rerum dominator (prò dolor!) ex „
Domino amicum agit, quasi exiguum fo- „
ret, si tantùm Dominus esset. Quid non „
præstat illa munifica manus? ferocem „
animam beneficiis mulcet; neq; tamen „
cicurant gratiæ, quem ingratitudo effera- „
vit! Avolo, aufugio, illum desero, qui „
deseri non potest, utpotè quem sua ma- „
jestas, & potentia, omnibus spatiis, re- „
busq; affixit. Pariter, si molossos, si ver- „
tagos, si investigatores ferarum, si cætera canum nomina produceret, & frequenti indagine obsideret sylvas, plus è cælo venabatur quam Lampurus, aut Harpalus è ferarum cubilibus. Astutam vulpem fallebat Sticte, Corax terrebat leporem, dentibus armato apro colluctabatur Melanchetos. BORGIAS interim cælo intentus, inter atrocia ludorum, inter duella animalium secum luctabatur. Nec fabulæ (sic tacitus age- „
bat, tantum ferociæ affinxerunt canibus „
qui in Actæonem ferocierant, quantum „
humana mens contra DEVM audet. Mi- „
nus contra cælum egissent Gigantes si „

" plura egiſſent, quàm finguntur. Apicem
" flagitiorũ prætervehimur, dum auram in-
" grato ſpiritu polluimus, cælo inviſi, tellu-
" ri graves, atrociores moloſſis, Gigãtibus
" immaniores! Iſtis ille auſpiciis, inaugu-
rabat ſe ad cæleſtia ipſe ſibi augur, & ha-
ruſpex. Talibus à ſcenis facilè adibat cæ-
los; difficilior credebatur aditus ex concla-
vi, quod molliores animæ inſidebant. To-
tidem hìc hoſtes latere opinabatur, quot
penitior aula ſirenes incluſerat. Vlyſſe i-
taq; oculatior, nè cupiditate formarum ac-
cenderetur, armabat ſe contra vultus & le-
nocinia. Arma illi de cilicio; de contex-
tis pilis, murus pro tutela conſcientiæ. Ve-
nit alius, vidit, & vicit: Borgias ut vin-
ceret, nè quidem vidit. Hæc illi potiſſi-
ma vincendi ars, non videre; ſtratagema,
tuendi innocentiam, non intueri, cujus a-
ſpectu animus profligatur. Ita nè à blan-
ditiis expugnaretur, ſe ipſemet oppugnavit
aſperitate cultûs. Ita nè per oculum in-
vaderet venuſtas, egit excubias pectus con-
tra ſenſus. Per alia virtutum decora, qui-
bus & aulam & nomen Principum ornavit
Borgias, abire, prolixum eſt. Ergo in fine
exclamare libet; quod Druſus ille Roma-
nus, imaginibus æquè, ac probitate clarus,
quando ſupremum ex vulnere ſpiritum eſ-

fla-

flabat, ingeminâsse dicitur. * *Ecquando, Propinqui, amiciq́; similem mei civem habebit Resp:?* In hunc morem licebit mihi quoq; exclamare; Aulæ Principum, Imperantium augusta, fausti Procerum penates, ecquando similem BORGIÆ, Principem, parem Aulicum habebitis? inferetnè se vestris penetralibus, tanta morum innocentia? immigrabitnè serenissima in conclavia talis pietas? Auditis? BORGIAS Principum sanguis, & Princeps, Cathalauniæ Prorex, Palatii Regii, Cæsareiq́; supremus Minister, Regiæ Genius, omnia. Sed aulæ simul, simul pietati dedit Sacramentum. Non erubuit suo pro principe purpura, nec aurum palluit. In scena seculi non scenic⁹, luxus inter aulicos non mollis vixit. Nec fortuna animum fregit, nec opulentia. Vtinam vel reliquias animæ, Aulicus hic Sanctus, aularum Genius impressisset palatiis; quantum innocentiæ, quantum modestiæ, quantum probitatis inter felicitatis vestræ insignia ô Proceres, ô terrarum Numina, recenseretur? vestros utinam lares afflaret hic, quo BORGIAS animabatur, spiritus, certè diversum, quod omnia pænè formârunt secula judicium, novitate virtutis confutaretur, nec esset prodigium, sanctitas aulæ. *Dixi.*

ORA-

* *Velleius Paterculus l. 2. c. 14.*

ORATIO DECIMA QVARTA.

PRINCEPS sine TIARA SEV S. BORGIAS

Opum, honorumq; generosus Contemptor.

BORGIAM, sed jam sine titulo, sine opibus, sine tiara, Principem tamen appellabo; si magne Auditor, Principum nomina, non in ærariis nasci, non in tiaris educari, neq; titulorum jactantiâ crescere, concesseris. Et concedes; quia Princeps est, quisquis imperia suî tenet. Quid enim dignitati suffragium mendicemus à metallis? aut tenui filo appendamus tantum nomen, ut Princeps credatur, cui sudet in istud vocabulum bombyx, trahatq; ex se cognomentum, & nitorem, Proceribus vermis operosus? nec liceat illustri titulo serenari, si fulgor ex auro, & conchis non effluxerit? Ita inter vilia (nam & gemmis fecit pretium habendi cupido, non natura) inter vilia (inquam) saxa, viles, pæne saxei, nomina quærimus? ita eviseeramus terras, scrutamur maria, solicitamus elementa, toti pro-

pe.

pe naturæ graves, infestiq; dum totam scrutamur, subigimus, permutamus, ut superbo nomine se jactet arrogantia! ita, ut magni ab orbe censeamur, orbis versandus est, tantùm non evertendus! Alius, frequentiâ mortalium circumagitur; & jam adoratur, quasi non mortale genus: alius, supra humanas cervices attollitur, & jam supra humanam sortem creditur abiisse. BORGIAS postquam fortunam, quantam alii vix sperare poterant, postquam titulorum pompam, pænè hominem exuit, homo illustrior, postquam aulæ comitatum, palatii majestatem abjecit, rerum dominus: postquam arbitria terrarum excussit, ingens arbiter: positis diadematibus; corona procerum; tumentia divitiis æraria, quasi vilem telluris partum, exosus, gemma Principum. Novum est illud ad titulos iter, per titulorum stragem, & vix non portentum, Princeps sine tiaris! sed Divi ipsimet miracula sunt; ideoq; prodigium inter mortales; BORGIAM, extra palatia, sine tiaris Principem demonstrabo.

Simul cineres, & fædam sine forma, sine nomine majestatem Isabellæ, BORGIAS tumulavit. simul expendit, funeribus æquari, quos fortuna discrevit, simul pompæ & augustioribus quos illi domestica ex atavis glo-

gloria; virtus & favor Principum collegerat, titulis, fortunæq; parentavit.

Sed qui nam tunc sermones ultro citroq; diversa conjectantium? quæ judicia, non vulgi tantùm, qui pessimus est veritatis interpres, leviq; aura circumfert aliorum acta, non momenta causasq; rerum? sed illi etiam BORGIÆ factum non una lance expenderunt, quibus consilia curiosè rimari placuit; quasi mentes humanas cernerent, & rationes agendorum in numerato haberent. Altus ruentium fragor turrium sonat; & fortunæ ex alto fastigium summitentis variam, claramq; concitat famam novitas. Illi mirari, quibus satis est admiratio, dum alii præclarè agunt: illi sugillare, & impietatis virtutem accusare; quasi deliquisset in avitum nomen, in domesticum decus, in stirpis gloriam, in quidquid est majestatis, & alti sanguinis. Credebatur ab illis, quibus abditum est arcanum, honores comparari maximè honoris fugâ, credebatur, inquam, BORGIANUM nomen, tumulo, veluti tristissimum funus inferri, dum se BORGIAS curis exsolveret superioribus, ut vitæ modestiori devoveret: Illi dicere, factum sine exemplo, proinde sine honore; quasi non pulchriùs foret superare, & ardua, & majorum exempla, aut non.

non liceat esse, ideam & Auctorem magnorum, aut prima virtutum, nulla fuerit.

At non primus BORGIAS fortunam provocavit, ut vinceret. Nascuntur omni ætate grandia cùm scelerum, tum virtutum exempla; ut putes secula revolvi, & cum iis mores hominum. Olim igitur, tot Principes, tot Reges, tot Imperatores, postquam in fastigium fortunæ eluctati essent, è rerum culmine, ad ima sese deturbaverunt. Et illustrius erat, crescere decrescendo, quàm tollere ad Deos capita, quàm cælos ferire titulis, coronis excutere. Certè Lotarius primus, grande inter Cæsares nomen, postquam annis quindecem experiretur, quanta calamitas sceptrum foret, è Monarcha Monachus, imperii depositis insignibus, maluit regi, quàm regere; & tamen omnem consecutus est laudem, dum omnem abjecit. Nam in solio, quasi phasello, quem venti ac procellæ agitant, concutiunt, huc illuc raptant, jactatus, & pelagum, & terras ita sanguine infecit, ut utrumq; elementum pæne nomen, amiserit, inter strages, ac rudera, cùmq; de regno tuendo certaretur, tantùm non genus mortale fuerit sublatum. Concussa præliis omnia; deinde (quasi exiguum foret uno confici telo) lue pestilenti contabuere Provinciæ, Imperator ipse inter

suo-

suorum funera, non tam vitam agebat, quàm animam, tanquam ideo spiraret in purpura, ut dies fluerent in supplicium Regalis animi. At dum umbris sepeliretur, frueretur sanctiore secreto, lætiores illi, quibus expiabat crimina, lacrymæ profluebant, quàm olim tributa regnorum, imperiorum census.

Hugo itidem ille, cui coronæ imperiales, regniq; Galliarum incubuerant, cujus stirps, Regalibus sic incanuerat honoribus, ut non modò, ad nostrum ævum illibata, rugas & gloriam imperandi tulerit, sed orbi coæva (credamus cælo) duratura sit. Tantus itaq; Hugo, postquam omnia vicisset; nè quid invictum relinqueret, se & fastum in trophæo duxit ad angustas claustri latebras, cellasq;: nunquam tamen magis Imperator, quàm cùm desineret imperare. Si Religio sanior Deos Penates adoraret, quo numine modestia hæc consecraretur? Reducite in memoriam Rachisium Lombardiæ, Trebellium Bulgariæ, Reges, deinde utrumq; ex tanto rerum dominatore, nullum. Hispania quoq; adoravit Principes, qui pari laude tractarent sceptra, & abjicerent. Vt (cæteros sileam) Veremundus, Ramirus, inferunt se sublimi fronte, etiam tunc, dum posito diademate reptaret modestia. Tantum erat Hispanæ majestatis Reges oblivi-

sci,

sci, & solo honoris contemptu, honorati! Vt verò violenta est pietas, quam spiritus accendit, etiam Elterodum, Offam, Cleodulphum, ex Angliæ throno duxit ad contemptum majestatis. Sed hi exuêre purpuram, non Principem, ut palàm esset: misceri posse Regis nomina, & Anachoretæ, atq; sine Regnis, sine populis latissimè imperare illos, quibus est animus fortunæ contemptor, suî retinens. His exemplis crescebat BORGIAS, dignosq; Principe animos componebat, ut quod in aliis mirabatur, illud laudabili imitatione exequeretur. At si virtus minor cuiquam videatur excutere coronas; quia Christiana est, repeto secula, quibus vix nomen virtutis innotuerat. Sabacus Rex, postquam jura Ægypto dedisset, tandem fortunam regni, quasi crimen detestatus est, non ideo solùm, quòd scelestos homines plectere inhumanum videretur; sed quòd verissimè censeret, neminem esse fortunatiorem, quàm qui extra fortunæ ictum, extra imperia fatorum positus, sibi imperat. Cadmum deinde, Syllamq; in animo versabat, & pudebat Christianum vinci à Gentilibus, quorum ille Coorum purpuram, hic Romanum Dictatorem exuit. At verò (ut Cadmum taceam) Sylla centum millia Civium, 20 millia, & sexcentos

equites, Senatores nonaginta, 15 Consules interimendo, nunquam sic perculit Romam, quàm dum virgas frangeret, secures poneret, quasi majore niteretur potentia, dum omnem amoveret. Et (quod vehementiùs mirer) non in filii manum, ut Ptolomæus Sceptra Ægypti, Ariobarsanes Cappadociæ, Seleucus Syriæ; sed fortunæ suæ hostis, hostium arbitriis commisit potestatem, tanquam potentior tunc evaderet, cùm potentiam dimitteret. Tantum igitur, etsi circumvallaretur hostium agminibus, fidebat fortunæ, cui nuncium remiserat, quantum nec castris olim, summæq; potestati credidisset. Cruentus equidem innocentûm sanguine, atq; ideo omnibus omnium linguis lacerandus, confodiendus calamis Diocletianus, necnon scelere, & atrocitate, non minùs, ac sanguine germanus Maximilianus occurrit (sed tamen, ùt maximis etiam criminibus, quædam se admiscent virtutes, non secus ac cæcarum noctium horrori, sidera coruscantia) uterq; admisit intra crudele, atq; parricidii cogitationibus, & libidine sæviendi asperatum caput, intraq; pectus, quod mille mortes, innumeræ strages funestaverant, admisit (inquam) laudabilem contemptum, fortunæ, solii, ac gubernaculi immensarum Gentium. Ille ergo Diocletia-

tia-

tianus, Maximilianus ille, fortunæ modum imposuit, atq; manum sceptris assvetam, culturæ agrorum admovit. Maximilianus equidem in machinatione repetendi sceptra deprehensus est, & oppressus. At Diocletianus constantiori animo mutationem fovens, ro prope, quos supervixit annos, excolendis hortis impendit, sæpiûsq; in secreto illo, ac fortunæ tenebris jactavit, numquam sibi lætiores soles affulsisse.

Macte animo FRANCISCE, ut pluribus par esses, tot Principes secutus es; nè deinde, solus ad gloriam, per gloriæ contemptum emergas, fies Principum exemplum. Brevi tot Regum, ac Regnorum victor Carolus V, in quem quidquid congeri poterat; superi, hominesq; contulerant, post expeditiones, profectionesq; novem in Germaniam, sex in Hispaniam, septem in Italiam, quatuor in Galliam, decem in Belgium, duas in Angliam, totidem in Africam, mari undecies remenso, tot bellis per orbem devectis, pugnatisq;, toties pacato orbe, tot fæderibus sancitis, tot erectis post victoriam trophæis, sparsis tantùm non per totum terrarum orbem triumphis, victor ille vincetur tuæ virtutis exemplo, ut quod ille in Te admiratur, id in illo universi. Olim quoq; trahet ad umbras Casimirum, idea

hæc magnetica, ex solio Poloniæ, ex avito Regno, ex sinu fortunæ, ex animis civium, magìs quàm ex oculis, nec quidquam magnificentius, ad Principum gloriam occurret, quàm aspernari honores, quos tu sprevisti. Plurimi te Duce congruere censebunt, ut * *inter vitæ negotia mortemq́; diem spatium intercedat.* Nimirum ante Principes est DEVS, qui ut non plebeiam haberet aulam, illexit Principes ad probra; ad probra inquã: nam dedecora Procerum putantur à seculo, si extra fortunæ strepitum aliquando vivant, quos orbis adoravit. Sed BORGIAS virtutem anteposuit fortunæ. Fortunæ est, si animus modicis interus, palatia, hortosq; instruat, Provinciis arbitria disponat, ad clavũ sedeat, adoretur ùt Numen, & per superba prosperitatis fastigia magnificè incedat: virtutis, si respuat, quæ certè tunc est opulẽtissima, cùm se omnibus spoliavit. Deinde tantò Principib⁹ augustior est, BORGIAS, quantò similior Numini. Iam DEVS, si cælos, si terrã fata evertant, imperii tenet fastigiũ. Certè, si velit naturã universam exstinguere, potest, non potest Principis nomina, quæ gerit, Rex est sine Vrbib⁹, sine populis, sine cælo, sine solio. Inter mortales quoq; (nam terrarum Numina, Reges) facit Prinçipes, non

au-

* *Strada dec: 1, l: 1.*

aurum, fulva utiq; gleba, & exſangui ſimil-lima cadaveri, dum pallet. Proinde Francisco eſt fortuna, fortunam effugiſſe.

At etiam poſtquam titulos repudiavit, non ſine ſplendore aulico inceſſit. Tota Virtutis aula in animum defluxit, cùm à latere catervam famulantium ſolviſſet, cũq; terrarum ſpatia, & latum fœnus, quo exuberabat, excuſſiſſet, alium orbem verſavit mente. Nova Regna, animo non concepit tantùm, ſed invaſit. Nempe in cælo verſabatur mens illa, terras exoſa, vel oblita, vel ſi terrenus Borgias dici potuit, certè non aliter, quàm in terras de cælo demiſſus, et tamen dum Principum alii quærunt per regna hoſtem, Borgias in ſe reperiebat, eò quòd modeſtiæ, nec ſanctitas propria, ſine crimine videretur. Nec nomina placebant, niſi peccatoris. Diſſimulavit Ducem, involvit ſilentio Generalem; & cùm piacula odiſſet, ſe peccatorem in titulis literarum ſcripſit. Sepia pallebat, erubeſcebat charta, cùm tam deforme cognomentum illa infunderet, hæc acciperet. Sed Franciscus, quæ metuebat ſolùm, ac deteſtabatur crimina, tam atrociter ultus eſt, ut vix Tyranni ſæviùs torquerent ſceleratorum acta, quàm ſuam Borgias innocentiam. Livebat inter gemitus, pallebat inter inedias, pla-

planè fame vivebat, virtute ſûiq; victoriâ ſatur Princeps. Hinc ſi quis BORGIAM extenuatum, & ſe ipſo minorem vidiſſet, credidiſſet, aut ſpirantem FRANCISCI umbram, oberrare, FRANCISCUM verò inter cælites agere, aut in plures diviſum decreviſſe. Non hæc omnia FRANCISCUM ſupra hominem, Principumq; gloriam tollant?

AUXIT magnitudinem, quòd non illum fortuna projecit; ſed ille fortunam; cùm faſtigium, titulos, opes in paupertatem ultro detruſit, an potiùs erexit ſupra mortalia, ut è præcelſo mentis auguſtiſſimæ culmine rideret, quod cæteri ſtudioſiùs venantur. Stabat ergo ſupra coronas, ſupra ſtemmata, ſupra ſpecioſa humanæ felicitatis, coronis & omni proſperitate altior; atq; ùt ſemper rectiùs judicat gloriam, quiſquis eam ex alto deſpicit, inſultabat fortunæ.

Itaq; BORGIAS ille, Cæſarum, Regum, Principumq; ſanguis, Prorex, Princeps, ille Dux Gandiæ, Marchio Lombaiæ, illud Hiſpanici imperij orbiſq; Sidus, fit IGNATII comes, inops, ſine titulis, nihil. Nihil inquam, è capite dejecit tiaram modeſtia; ſed non minuit FRANCISCUM. Nimirum, toto ille & nomine, & animo, tulit BORGIAM, ſine tiaris Princeps.

ORA-

ORATIO DECIMA QVINTA.

Triarii Societatis Iesu:

Tres in Iaponia Martyres.

QVodnam ſpectaculum evolvit ſe Auditores! Calvaria fatalis ille, ille ipſomet DEO horrid⁹, nè dicam ſupplicii infamis locus infunditur oculo! crux terna, totidem Cruciarii ſcenam exhibent funeſtiſſimam: lanceæ quoq; penitùs rimatæ latus, & adhuc ferali viſo horridæ, pollutæ ſanguine, atrocitate letales occurrunt. At nihil funeſti, quale Calvaria propoſuit, cogitate. Fixorum numerus idem eſt, non eadem cauſa; niſi quòd ſimilia divini ſupplicii ſemina interceſſerint, quæ trium, quos feſta colit recordatio, Heróum. Cæterùm non latronum tolluntur cruces, non haſtæ, quibus lanientur prædones, confodiantur ſceleræ, acuuntur. Sinite me aliud cogitare Auditores, ubi Romana caſtra meditor, id eſt haſtatos, ſcutatos, triarios: imò ad triarios totam rem deduci. Ita Societas IESV pugnat; leviorem militem nec armat, nec opponit; prima acie, prima velitatione, etſi non frangatur, triarios educit. Nimirum

mirum IGNATIANOS animos ſpirant univerſi, etiam tunc dum exſpirant: proinde fortiſſimos, & ſupremum belli ſanctioris robur inſtituitur. O maxima ſub parvo numero cohors (caſtra dicam LOIOLANA) quo vos nomine appellem? dicam Triarios. Sed priùs neceſſe eſt pernoſcere, quam gentem, quo Imperatore ſunt aggreſſi.

Iaponiam, vel (ut antiquo utar vocabulo) Chriſam, ſi expendas, inſula eſt ad fines Aſiæ, ſolisq; incunabula non pelago magìs circumfuſa, quàm erroribus. Aquis innatat, & piaculis. Ingenium ſoli benignius eſt; deterius hominum. Nimirum terra progignit aurum, argentum, & aliorum, quæ avaritiam, faſtumq; mortalium irritant, feraciſſima eſt: at incolæ arrogantiâ turgidi, præcipites irâ, ambitione elati, infra ſe omnia repere arbitrantur, quidquid extra Iaponiam ſepoſuit natura. Tantùm abeſt, ut ſolos ſe homines credant, cæteros imitamenta hominum. Hinc nè aliquid commune illis cum reliquo mortalium genere intercedat, omnia cum noſtris moribus pugnant: pleraq; vix humana ſunt, non quòd barbaries animos, ritumq; corruperit, (ſiquidem & ars, & natura polivit gentem) ſed quia non vulgariter libet vivere, agereq; quaſi publica conventione, & ſacratis legi-

legibus sancitum foret: Iaponiam non ,,
oportet ea facere, quæ populi per terras ,,
sparsi, aut per maria natantes agunt. hu- ,,
mile est, proinde nostro nec cælo, nec a- ,,
nimo dignum, tritâ, ac vulgari via ince- ,,
dere. mos publicus relinquatur; propria ,,
nobis, ac peculiaris ratio vivendi fiat. ,,
Quos supra omnes tollunt animi, Diiq; ,
iis contra omnes vivendum est. Itaq; si a-
deas Iaponiam, alium terrarum orbem à te
repertum, aditumq; reputabis. Equidem
obversabitur altum, ac perenne ingenii flu-
men, & quasi impetus aquæ cadentis è præ-
cipitio montis. Acerrimo pollent ingenio,
cui sit expeditum tam percipere sublimia,
quàm percepta retinere. Faciliùs quàm no-
stro sub cælo progeniti ediscunt artes opti-
mas, ad quas insitus quidam ardor, animos
omnium propellit; quasi non liceret esse
rudem, quemcunq; Iaponia progignit. Pro-
inde, aut ferrum tractatur, aut liber: in-
genii verò potior cultura habetur, quàm
terræ. Hinc tellus passim inculta, & ste-
rilis riget, eò quòd glebam non subigat la-
boris pertinacia, neq; ab invito solo extor-
queat fæcunditatem anni, messesq;, studium
agreste. Mobilitatem animi (tanta est gen-
ti constantia!) multò minùs temeritatem
cogitationum, raró quis observet. Amæ-

 no

no ſimilem etiam tunc, dum coquit animum triſtitia, videbis. Neq; facilè aſſequêris: ſaveant, an iraſcantur. Ita vel ſimulant affectus, vel moderantur! Caſtigata frons Japonenſibus, & in omnibus laudabile temperamentum. Quis autem inſolitus morum tenor, in populo non rudi, nec impexo? Non illi, etſi dignum ſuâ crediderint amicitiâ, aſſurgent hoſpiti, non inclinatione capitis annuent. Inhumanum eſt iſtud populo: itaq; ad venerationem ſubſiditur. Non caput aperient, ſiquidem hoc etiam inter cæli injurias ſemper patet. Solus capiti honor ex eruditione, & nuditate. Pedes levi tibiarum excuſſu detegent, ſi hoſpitaris. Iſtud ſervatur inter civilitatis, morūq; elegantiam, atq; officiorum certamē, dum excipitur hoſpes. Quid dicam de epulis? non vivitur mortibus boûm, neq; cæde gallorum inſtruuntur convivia. Piaculum, quô non atrocius aliud, creditur, apponere culinæ, & tricliniis, ac tandem palato, quod induſtria familiaris aluit. Ornamenta hæc aularum, non famis remedia ſunt. Faciliùs humanum ſanguinem effundant, quàm bovinum; diceres bubulcum genus, & ſtabulis affine; niſi ſagacitate animorum efferrent ſe plurimos ſupra homines, etiam Europæos. Forſitan intra glo-

riam

riam reponendum foret, quòd non superbè, damnoséq; esuriat gula, nec efferavit manum crudelitas, ut saginetur venter, & in viscere viscera condantur; si vana superstitio abstineret, à domesticorum nece animalium, in cladem verò sylvestrium non incalesceret. Quid est? impium, & immane ducitur, tauros immolare gulæ, & non eadem immanitas reputatur, sævire in imbelles damas, mactare innocentes cervorum exercitus, pavidos lepores trucidare, culinas, ac deinde mensas prædâ venantium onerare? maximè tamen arboribus, & aquis vitam debent Iapones: inde genti epulæ, & voluptas conviviorum. Nec vina sitim edomant, aqua ad delicias usq; hauritur. nec tamen, ùt torrens exundavit, aut suus fontem impetus protrusit: gelida exstingvit ardorem; verùm non eo duntaxat tèpore, quando bruma inclementior sævit, at etiam tunc, dum Sirius fervet, omniaq; æstibus adurũtur, calidos fontes hauriunt; quasi perpetuâ hyeme, & gula, & venter obrigesceret. Colores autem, quos cæteræ gentes, ad inferni genios, ad funerum lugubria relegârunt, pæne ad ambitum induuntur. Tantò gratior Iaponibus occurrit species, quantò plus nocticolor, & fuliginis attraxit. Noctes ergo in deliciis, noctes in forma quæruntur; ut

eti-

etiam adſcititia caligine nigreſcere, decorum ſit iis, qui aut in ſanguine rubent, aut nativâ candent ceruſſâ. Adeò, nec dentium quidem, quos natura candidos eſſe voluit albedo placet: vitiatur hæc nigredine, exterminatur ſuccis attractis. Paucis eloquar: ſua tantùm miratur Iapon: barbarum judicatur, quidquid non Iaponicum eſt. Sic gentem à nobis non magìs ingens terrarum, cæliq; divortium diſcrevit; quàm ſuperſtitionum impietas, morumq; adverſa temperies; ut meritò quis dicat: Iaponiam perinde ingeniis, ac pedibus noſtro orbi obverſam eſſe. Quid tandem? leges populū nullæ coërcent; pro legibus arbitria dominantium, & ſua cuiq; licentia, aut virtus. Vt quis potentiâ, vel opibus exſurgit: valet. Hæc juris, & æqui menſura: agere tantum, quantum vires permisêre. Ferrum ſceleratis, & in hoc omnia. Temerarium non facilè diſcernas, & fortem. Arma in manibus continua, & furor promptus, ut mutua ſibi bella inferant, poſtquam hoſtis deſuit, ac fera. Quo factum, ut cùm unius ditione, ac imperio, latè ſe proferrent tam vaſti fines, nimirum parte alia regna quinquaginta tria, inde Ximo novem regnis, quaſi totidem membris adhæreret. Xicua aliunde quatuor itidem regna unius imperio

ſub-

submitteret; deinde postquam datum est jus sceleri, & erudita ad flagitium calliditas erexit animos, crudelitas quoq; ac perfidia, prudentiæ loco, & fortitudinis stetêre, scinderetur magnum corpus imperii, & subitò multiplicem se Iapon, pluriumq; tyrannorum prædam miraretur, & ingemisceret.

Quorsum fluenti stylo diffundit se Oratio? ut luxu verborum insaniat? ut ludicro sensuum conflictu cavilletur gentes, moresq; peregrinos? absit ingenio laxare frenos, ad probra, ad vulnera aliorum. Cur itaq;? ut discat orbis, quæ gentes, quæ ingenia fuerant edomanda. Tumet arrogantiâ: quid aget contra superbiam modestia? supra omnes populos supercilium tollit: quomodo non despiciet exterum dogma; etsi divinum sit? magnos fert animos: cui cedet? tam diversis moribus imbuta est: ergone componet se ad alienos? legibus Christi parebunt; qui nullas didicerunt? Novos cultus, ritusq; proferes? insidias libertatis, excidium gentis interpretabitur. Sinistro pede si equum ascendas, si caput velaveris, si albedo placuerit, aut quidquam è macello protuleris, barbarum, impium, sacrilegum putabitur. Contra hanc vitæ impietatem, & arbitrandi insolentiam, majori robore, quàm contra hydram eundum est. Faciliùs

liùs profligantur monſtra, quàm ingenia, quæ faſtus afflavit, efferavit ſævities, licentia laxavit, diverſitas morum detorſit, quosq; ſimulatio fecit ambiguos, denique impunitas dimiſit in omnia. Nisi XAVERIUS veluti Imperator iviſſet primus, ſacra tuliſſet ſigna, quis attentâſſet? ſolus ille videbatur; quem inſolens natio probaret; & probavit. Reges, ac Regna, illo ſuaſore, illo magiſtro, promiſcuum vulgus, & decora Principum capita, ſubmiſerunt ſe contumeliis Chriſti. Vix Iaponiam, agente in humanis FRANCISCO, in Iaponia reperiſſes. O felix bienium! ô plusquam ſecula pauci ſoles! vixiſſet utinam diutiùs animus ille, ſalusq; populorum! jam Iapon ſuperis infenſus, gens illa cælo rebellis; & ſuperis, & cælo viveret.

At neq; poſt tempora XAVERII actum erat de Iaponia. magnam ibi animam, & ſpiritus orbi pares FRANCISCUS videbatur reliquiſſe, quibus afflati Iapones ſanctiùs ſpiraverunt; ut brevi gentem, quæ morum enormitate onerabatur, inducta religio, & virtutum ingentium magnitudo abſolveret à facinore; præſertim dum Ignatiano ſpiritu imbutæ, Xaverianis veſtigiis inhærentes, novæ, ac novæ legiones prorumperent, utq; ab Europa per tot ſpatia terrarum, per inſanos

ſanos pelagi furores, per & mille diſcrimina, morteſq; veherent ſanctitatem morum, & dogma ſalutare. Egregio marte, quia divino incaleſcebant egregiæ mentes; de Iaponia certatum acriùs, quàm de Troja. ruebant ergo Dii, profligabantur mores peſſundati, aſſurgebat pietas, erigebat probitas cervicem, & ſoli ſterilitas virtutum proventu penſabatur. Tum palàm fuit, (ùt plerumq; ingenia tantò feliciùs amplectuntur mores inculpatos, quantò pertinaciùs delinquebant) Iapones perinde recti tenaces eſſe, ac piaculorum, necnon ſuperſtitionis. Annis 55. fauſtiſſimè decertatum eſt contra perfidiam; donec ad triarios tandem res devolveretur. Iſto vos nomine ornavi, ô invictum Robur, immenſa tantillo ſub numero Caſtra, immortales copiæ, dignaParente IGNATIO, XAVERIO DuceLegio, PAULE Michi, IOANNES de Goto, IACOBE Kiſai, ingentia nomina, nomina Apoſtolica! tantùmne nomina? etiam pectora Apoſtolica. Parcite autem magni Heròés, quòd ſe in alia ſtylus hucuſq; expenderet, & reducto ſermone exſpatiaretur. Quanquam nec evagata eſt Oratio; veſtram attollit gloriam, quòd non exile Myrmidonum genus, aut ceream gentem, pronumq; in omnia populum bello ſacro laceſſiviſtis, quòdq; tanti Ducis exemplo

plo incaluit virtus ad ingentia. Vt etiam constaret triarios laudari, per tot præludia, per plures conflictus, veniendum fuit ad bellum hoc, quod, gloriosissimè occumbendo, fortiter profligâstis.

Iam videor spectare Iaquinum Cæsari blandientem tam noxiè, ut neq; furiæ, si dimitterentur Orco, atrociùs desævirent. Lenocinuis inerat furor, & blandimenta sævities corrumpebat, tantò perniciosiùs, quantò callidiùs præcipitem voluptate animum traheret ad iras, ad cædes, ad exitium rei Christianæ. Videor Taikosamam (istud sibi arrogaverat vocabulum supremus Principum) intueri inter libidines elusas ferocem, spirantem mortes post amores interceptos. Videor nos citare insaniam Principis, tribunal crudele, immania decreta. Nescit aliter irasci tyrannus, nisi omnia pessumdet, evertat. Ecce hìc prælium. Prima veluti hastatorum acies occurrit Virginitas, Virginitas nullis emollita blanditiis, etsi omnibus tentata, nec, lubrica quamvis in lubrico, nec annorum juvenilium levitate nutans. Irritari mentes Virgineæ poterant; non poterant ad fæda pellici. Imperator enormia jussit, suasit, blanditus insuper, imperiis, suasioni, blandimentis, addita sunt, tanquam viscus, hamusq;, pollicita. Sed

PAU-

PAULUS plura potuit perſuadere, quàm pretioſus emptor mercari, aut nefarius Princeps imperare. Quia pietate, & ſanctiſſimo amore armaverat ſe pudor; pudor (nunquam) ad ſupplicia, ad mille fata, ad quidquid immaniſſimum eſt, paratior, quam ad caſtimoniæ detrimenta. Iſta contra impudentiam arma oppoſuit integritas!. Sic triumphavit imbelle genus! Iuſſæ Virgines regno excedere? exceſſerunt. Pulchrius eſt exulare à patria, quàm ab innocentia. Integritati ubiq; ſolum natale eſt. Patriam tenet, qui non amiſit propoſiti tenacitatem. Ita ſtetit, ita pro innocentia dimicavit innocens legio, ut Amazones credi potuerint, niſi major foret iſtis & animus, & integritas, cauſa item melior triumphi.

Deinde crederes ſcutatos in aciem deſcendiſſe, dum Iuſtus Vcondonus, cui pro ſcuto conſtantia, religio pro enſe, pro haſta fuit magnanimitas, deſcenderet in exilium cum depontano patre, cum conjuge, non minùs vitæ, quàm virtutum ſocia, cum fratre interrito adverſis, cum liberis, tunc verè liberrimis. Ibat patritius vir, nomine avito, & imaginibus vetuſtis, ac etiam triumphis, gloriâq; collectâ in bellis ſtipatus: quid dico ſtipatum? Quidquid opum, & honoris afflueret, (affluebat autem affa-

tum) deserere maluit, nè desereret religionem. Itaq; patriam Vcondonus, ipsum propè Vcondonum reliquit. At verò nunquam se fortunatiorem sensit, quàm ubi fortuna omni exutus est. Ajebat. „ Iaponiam amisi? patet terrarum orbis universus, cælum quoq; Principis impietas opulentiam ademit, non animum. Dives est, qui DEO non caret; & bona mente. Errabat per sylvas, infortunia circumferebat per invia & devia; sed calamitate, plusquàm omnibus quondam fortunis lætior. Quid plura prosequar? Vcondonus nobilissima cum stirpe nunquam animosiùs pugnavit, gloriosiùs triumphavit nunquam, quàm ubi de ipsa etiam fortuna triumphos agitaret. Sic pugnant, sic vincunt, sic triumphant, quibus Sacramentum militare placuit Duce DEO! Et hos accipite scutatos; jam ad Triarios & res, & stylus devolvitur. Hastatos jure diceres, si pectora hastis confossa, si corda lanceis discissa liberet observare; sed Triarii sunt. Istud viris ingentibus nomen peperit, non numerus tantùm; at etiam robur invictum, & ordo confligendi. Etenim post Virgineum Martem, post ausa Vcondoni, rapiuntur, PAULUS, IOANNES, IACOBUS, victricia nomina, & olim ad laureas inaugurata; dum

dum ille gentium magister capite diminueretur, dum IACOBUS saxea grandine concussus, ac demum è fastigio Templi deturbatus magnam efflaret animam; dum IOANNES bulliente olivo frigeretur, & oleum velut querulum ingemisceret, Martyr autem in sartagine tripudiaret; interq; atrocitatem effervescentis olei ita difflueret, ut majore luxu inter unguenta, nè Sardanapalus quidem molliretur. Sinistra auris præcisa heroibus: nihil ergo sinistri audire poterit invicta magnanimitas. Adde, quòd aurium isthæc jactura fuerit, virtutum integritas superfit intacta. Constat sibi mens valida etiam tunc, dum membra laniantur. Corpus secari, diffindi, minui potest, non potest animus, quem constantia solidavit. Manabat itaq; cruor ab aure truncata defluus; at fortissimi Atletæ diffluebant sancta voluptate, & purpuris, quas sibi tingebat innocentia, patientia gaudebat. Dolor ipse ridebat, & rudimentis patiendi, ad supplicia, quæ furor instruebat crudeliora, animum durabat, fovebat artus. Impositi deinde carpentis, & in publicum vecti milites Christi, triumphalem putabant currum, tantumq; aberat, ut modestia contumeliis superbiret. Dicerem, ante victoriam triumphâsse pugiles, nisi constaret, tot præivisse vi-

ctorias, quot pœnæ antecesserant. Non hic squalorem carceris, non catenarum atrocitatem explico, itidem inter sæva lætitiam, plausus inter supplicia libens dissimulo. Vltimus evocat conflictus, evocant triumphi, quos ipsa mors parturiit. Impietas valido se impetu exeruit, ut contumaciam virtutis frangeret. Blanditiæ primò (hoc enim potissimum est impietatis telum contra innocentiam) oppugnaverunt rigidas mentes: blanditiis successêre minæ, mox supplicium, sed crucis, sed hastarum. Applausit calamitati suæ affixa integritas, gratulata est sibi ærumnas innocentia lancinata, crux inter solatia, honores inter, crux erat. Non gestiissent supplicio tali? at Salvator, quo Duce, quo Magistro bella decertaverant, cruciarius exspiravit. Demum postquam crucibus subvecti, in àëre, & jam viciniores cælo constiterunt, tum se terris, & tyrannis superiorem victrix tolerantia mirata est, atq; ab alto supplicii, insaniam furoris, & quidquid hostilitas, aut minari potest, aut infligere, despexit. Quia verò omnem adhuc rabiem, lictorum ferocia non consumpserat, sævitum est in semianimes, adactæ in pectus hastæ, ut arcem pectoris expugnarent. Sed majorem quisq; spirabat animum, quàm ut uno ictu expelleretur.

Itaq;

Itaq; crudelitas alias contorsit hastas, novas quoq; vias ituris ad Superos mentibus aperuit. Sic victrices animæ salierunt ad triumphos, ad laureas, ad gloriam. Nullum vincendi genus nobilius est, quàm generosè militando pro DEO, ignominiosissimè mori. Supplicio Crucis haud deformata majestas: quin ipsis mortibus novus honor pullulavit. Nimirum relictæ in vultibus minæ sanctiores, & in ipsa morte ira generosior vivebat, quæ probaret Triarios occubuisse. *Dixi.*

ORATIO DECIMASEXTA.

Innocentiæ Principatus, à B. ALOYSIO GONZAGA S. JESU *occupatus.*

NE tantùm potentia ferro succincta, aut opulentia gravis populorum censu, vel demum septa terroribus ambitio invaderet rerum apices; ecce & Innocentiæ Principatum. Te quidem Ludovice tam superbo paratu fortuna cumulaverat, ut tantùm posses decrescere, augeri vix posses. Paternum genus inquiro? Ferdinando Principe Romani

ni Imperii, Castilionis Marchione, cui tam amplum nomen, quàm seculi prosperitas, editus est Aloysius. Nec Parenti duntaxat clementia fortunæ indulsit: tota stirps iis effulsit decoribus, quæ Gonzagas summis Procerum, tantùm non cælo permiscerent. Quis nesciat Guilhelmum Mantuanorum Ducem? QuidquidVeronam inter acMantuam, Brixiamq; terrarum jacet, Guilhelmi ditio fuit. Cæteri longa serie stemmata, & titulos ita protulerunt, ut, qui Gonzagarum nomina pernôsse ambierit, totius penè Europæ fastos, ac nomina excutere sit necesse. Nam Domus hæc per Galliam, Germaniam, Hispaniam, Italiam, aliasq; per gentes tam augustè effulsit, quemadmodum solent astra majora. Quibuscunq; populis ex alto imminent, eminent; & perinde illustria, ac celsa conspiciuntur. Nec Poloni expertes fuimus ejusdem felicitatis, quæ tot regna insignivit. Excidítne è memoria ingens illa, & prorsus ultra fœminam mulier Ludovica Maria Gonzaga, Mantuæ, & Monsferti, atq; Nivernienfium Dux, Burgundiæ, & Siciliæ Reginarum Neptis, avita Palæologorum hæres, tandem potentissimorum Poloniæ, & Sueciæ Regum Vladislai IV, mox Ioannis Casimiri conjux? At Serenissima plus gloriæ credebat, & sanguine,

guine, & nomine Ludovici, quàm regnis, sceptrisq; censeri. Iam si antiquissima in Stirpe materna admirer ALOYSIUM; occurrunt ingentia nomina Santemios inter, ac Roboreos. Cùm singula recensere prolixum est, is optimè narrabit consanguineam Ludovici stirpem, qui Parentis utriusq. Familiam, totius ferè nobilitatis Nidum, aut Procerum, quos utraq; purpura insignivit, adoravit Europa, Domum nuncupaverit. Sed quia felicitatis munera jacent infra virtutes; siquidem ùt crassæ quandoq mentes, sub tenui cælo educantur, ita blanditiis fortunæ non raro frangitur animus, enervatur indoles ad summum edita, quasi stemmata Avorum, & pompæ illustres tantùm delicta fortunæ essent, aut vitiorum scaturigines: idcirco augustius reor probitate censeri, quàm titulis, vel opum jactantiâ. Non ergo tumebit Oratio fastuosa narratione; quia modestè GONZAGAM laudare placet: modestissimè autem attolletur, si Innocentiæ Principatum, quem ille occupaverat, exhibuero.

Vt Ludovicus ducali mitrâ consurgeret, & Princeps diceretur; natalibus debuit: ut innocentiæ Principatum occuparet, sibi. Possunt enim nepotes jactare Atavos, ima-

gines recensere; fasces, ac titulos veteres proferre, majorum præclarè actis usq; in ambitum turgere; non possunt gloriæ causâ quasi hereditatem, virtutes eorum computare, & laudem suam, laborem Parentum facere. Imò proponite Auditores hominem veteris prosapiæ, & multarum imaginum, qui suorum currus triumpho graves, merita in publicum innumera depromat; ipse interim ignavus sic stertat, quasi totam antiquitatis gloriam edormiret: nonnè is tantò obscurior incurret, quantò Atavi illustriores evenerant? Mores egregii Parentum sunt perpetua censura natorum, quos voluptas fregit, socordia prostravit, corrupit superbia, vel cætera piacula in dedecus projecerunt. Ast opes dudum congestæ supersunt? Ergone istis infamia redimetur? Nihil est contumeliæ vicinius, quàm refertas opulentiæ gazas, & inanem probitatis mentem habere, ùt etiam attolli honoribus, jacere animo. Fidem hominum! quantum hinc decus Aloysio, quòd in probitatis familiam æquè transire laboraverit, ac in Majorum transierat. Sic enim arcano
" hortatu sese incitabat: Quidquid digni-
" tatis est: in titulis proavorum, parentũq;
" lego: fortunæ affatim digestæ per tho-
" los, & conclavia relucent, at quantò

plures ærario conduntur? sed hæc glo- „
riolum, divitemq; faciunt, non beatum. „
Sola probitas est, quæ cælo dicat morta- „
les. Nisi pietate animum locupletave- „
ro, inopiâ laboro, & per solum repo. „
Itaq; totus huc referendus est conatus, „
ut beatè vivam. Neq; aliquam dunta- „
xat honesti partem invadere sufficerit; „
omnia virtutum vocabula studio perti „
naci amplectenda sunt. Constat judicio „
sapientûm, pravum nuncupari, qui vel u- „
nâ destituatur: ut probus vir appelletur, „
omnibus opus est Eam ob rem dici „
integritatem existimo, quasi nec virtus „
sit, sit nisi integra. Illum ego concinnè, „
ornatèq; indui rear? qui togam lacertis „
induxit, equidem discolorem, & Phry- „
gio & Attalico more plumatam, in qua „
ars perinde, atq; pretium ludat, & quæ „
fimbriis fluat auratis, ubi gemma in fi- „
bulam coacta collum mordeat, sinusq; „
interim ambitiosa chlamydis pretia fis- „
suram, aut maculam patiantur? pari ra- „
tione haud rectum dixero virum, cui „
nonnullæ virtutes contigerunt: nihilo- „
minus admistorum confinio vitiorum „
mores læduntur. Si pietati affricetur in- „
temperantia, si justitiam immodestia, pru- „
dentiam fastus inficiat, si fortitudini te- „
me-

" meritas, eruditasve affletur; nonne labes
" hæc corrumpit, imò abolet nomen in-
" tegritatis? Itaq; præcox ad honestum
pueritia totam se expendit in curas boni
melioris; nè quidquam virtutis esset, quod
non amplecteretur mente avidissima. Sic
enim animo surrexit in studium recti, ut
se pietas efferret ultra fortunas majorum,
ultra quidquid humanum est: nè non ma-
gìs innocentiâ, quàm titulis Princeps eva-
deret.

Auget gloriam, quòd Ludovicus egre-
gios conatus non seposuerit in senectutem,
usq; incertum ævi, atq; invalidum ad for-
tia; sed illico prætextata pueritia vix dum
gressus formare didicerat; vestigia virorum
ingentium pleno gradu, matura & mente,
& indole premere festinârit. Rarissimum
hoc! plerosq; enim reperias, qui veluti
ætates vitiis, aut integritate supputarent,
ita per intervalla vitiosi, aut integri sunt.
Æstus licentiæ primum florem decoquit,
ut, postquam inclinata ætas infregit ro-
bur, anni fatiscentes, tanquam æstas in hy-
emis inclementiam deducti sunt, tunc pri-
mùm invalescere ad virtutes, vernare pie-
tate, religione florere, revirescere inculpa-
tis moribus incipiant. Contra hos vixit
Aloysius, qui cum vita ferme auspicatus
est

eſt probitatem, atq; ſic innocentiâ primos inſtruxit annos, ut ætati modicæ fidem detraheret audendi magnanimitas. Cùm enim ſua ſanctitati quoq; ſit paſſim infantia, & ut corporum, mox etiam fortiſſimorum educatio ducit initium à lacte, cunisq;, ita futura olim maxima quoq; probitas edidit aliquando vagitum mox repere tentavit, ſenſim ingredi, ſed puerili, id eſt, non pleno gradu: tandem in viriles auſus major cura ſe accingit. Ludovicus infantiam virtutis ignoravit; ſiquidem tam feſtinè mores compoſuit, ut terris reptaret conchyliata pueritia, & cælos animus invaderet. Nimirum coævæ Ludovico gratiæ cunis adſtiterant, ſeduloq; egerant; ne innocentiæ principatum geſturus, non primas virtuti detuliſſet. Sed neq; convenire videbatur, ut cælo nomina daturus contagio terrenorum ſe infeciſſet. Aves ad volatum, equi ad curſum, ad ſævitiam feræ poſt exiguum vitæ invaleſcant: Ludovicus, cui cæleſtis origo animi, noniſi pollutam vitiis mentem, in ſanctiores curas tràſtuliſſe? Quin imò & avibus prævolâſſe, & præcurriſſe equos videbatur; ſiquidem nec illas ſubitò pennis induit, nec iſtis in curſum pedes validos natura ſtatim firmavit. Iam Puer hic Divinus priùs ad ſuperos, quàm in lucem proſiluit; quaſi nefas

foret intueri folem, quamdiu caligo primævæ labis animam afflaret. Vtero matris nobilissimum pondus, sed adhuc immaturum vitæ ferebatur; tamen cum ipsamet natura luctari audebat. Quid enim illud portenti? ante diem festinavit in lucem adhuc immatura vitæ soboles; cùmq; sibi obstaret ipsa magnitudo, nè totus simul nasceretur, per partes gigni debuit. Dextram promisit ex utero, veluti inferis violentam injiceret, superis autem daret manum, casusq; nascendi manumissionem à primigenia labe, aut impetraret, aut extorqueret. Faustissimè enimverò actũ est; dum mater luctatur in partu, dum laborat natura, Ludovicus antequam lustraret solem, lustratur undis, gratiis illustratur, cùmq; alii vitam adeant, ille rapit; ut prius hanc, quàm auram attraheret, atq; intra uterum, innocentiæ fundaret principatum. Contigitne ulli tam augustè (si unum, alterumve excipias) in mundum extulisse caput, & majori gratiarum comitatu stipatum prodiisse, quam Xerxes copiis militaribus cingeretur; & si hæ tam terris, quàm pelago graves essent? Grandia hæc; sed tantùm semina gratiarum, unde lætior deinde copia virtutum exuberaret. Exuberavit enimverò; nec lentis auctibus. Illico facer impetus in curas
im-

pietatis incaluit; quasi nefas duceret, Principem esse titulis, non esse insignibus festinatæ probitatis. Neq; enim temeritas circumegit pueritiam, non fortunam, quæ sæpe pueriles etiam animos distendit, tumor afflavit: non ulla contagio vitiorum irrepsit in mores. Quo factum est, ut, cùm nonnullis bene agere ex consuetudine transeat in naturam; innocentissimo Iuveni videretur natura esse, nè posset agere, quod posse non deberet, & ideò sanctissime vixisse, quòd aliter vivere non posset. Accessit solicita magnorum natalium cura, Matrisq; pietas, quæ maximum fortunæ ducalis ornamentum arbitrata integritatem vitæ, huc omne studium contulit, nè Aloysius plus lactis sugeret, quàm probitatis. Credebat illa nòn bene suis in ulnis ludere infantem, nisi virtuti colluderet; malè item institui vultus, formari corpus, nisi animus pariter comeretur. Castilionis (in-
" quiebat) heres est, qui educatur: Ca-
" stello Godefridi pro Alphonso, Sulphu-
" rino imperabit pro Horatio, Patruis:
" suos primùm ex innocentiæ legibus mo-
" res effingat, qui ex publico jure effinget
" tot populorũ. Cæteros ille moderabitur
" providè, qui non didicit imperare sibi?
Non diu laborandum fuit, ut melior etiam formaretur Aloysius, quàm vel Parentum

vota concepissent. Difficiliùs alii piacula discunt; etsi facilis in proclivia vitiorum decursus sit, quàm Infans hic probitatem. Palam itaq; jactatum est: Ludovicum non tam de stirpe GONZAGARUM quàm Cælitum enatasse, quòd virtuti simillimus, & per omnia ingenio cælestibus Geniis, quàm hominibus propior esse videretur; vel si aliquid humani spiritûs inter venas abderetur, reliquias aurei seculi confluxisse intra unum pectus. Duo potissimùm admirationi fuere: primò, quòd veluti ad subsidia calamitatis editus foret, sic Infans inter blanditias fortunæ enutritus, cùm ærumnarum nomina penè ignorabat, ærumnas egentium relevabat, nunc fusis ad Serenissimos Parentes precibus, quibus se non rarò lacryma permiscebat, nunc erogata stipe, quæ in manibus parvi Principis velut nasceretur. Alterum est, quòd Infans adhuc se eriperet ulnis, abditos secessus penetraret, ut secum habitaret; & quia cæleste consortium humana odit contubernia, superis blandiretur. Nec opus fuit aris; aram feceras Ludovice, quòcunq; se inferret innocentia. Hìc ille superis adsterni; balbutire cælo, pietatem ubiq; nutricis loco habere, cùmq; cæterorum infantia perpetuus sit ludus, ille perpetuò superis collo-

loqui, colludere. Non illud etiam in laudibus reponam? quòd, cùm mobile sit ingenium pueritiæ, & perinde dubium, ac cælum vere novo: scilicet nunc apricum sole, nunc infectum nubibus, & tempestate turbidum, aliàs ridet; pariter ætas prima tam variè, inconsultèq; agitatur, ut instabili levitate spes etiam fallat nutritorum. Aloysius nunquam animo fluctuavit, neq; dubia mente diversum hominem pollicitus est. Quidquid moliretur infantia; serium erat, nec tam puerilis remissio, quàm viri gravioris negotium. Tantùm aberat, ut extima facies imponere videretur spectatoribus? dum hæc infantem exhiberet, virum loquerentur facta. Quintum agebat annum cùm Patris aquilas secutus, parva se metitur in hasta, tam Paterno sudori, pulveriq; suum permiscet, jam duris cespitibus prætexit somnos, & cælo natus sub cælo agit. Diceres Bellonâ, & Marte progenitum. Levior tamen credi poterat, dum pulvere nitrato fulmineam implet machinam, exonerat, horrifico tandem fragore Paternos somnos, castrorum quietem confundit, & in se uno spes omnes domus inclytæ vocat in discrimen. At credite; sentiebat se avitus bellandi ardor in pectore immaturo, qui vel levitatem non levem

sa-

faceret: pueritia quoq; martiali fervore insolescebat: at neq; insolescebat; levitatem potiùs omnem explosit, quàm tormentum. Iam se mihi aula objicit, aula virtutum atq; vitiorum certamen acerrimum. Quantus hìc GONZAGA? Nec color, quem primæ lanæ biberunt, facilè amitti potest, nec mores, quibus imbuti sunt anni recentes. Nimirum ùt animalia, quibus aquam, terramq; incolendi gemina natura est, sive undis committant vitam, sive in solido telluris versentur, indemnia agunt; sic GONZAGA patriam innocentiæ fecerat, quocunq; illaberetur virtus ubiq; sui secura. Quam enim è cælo, & Illustrissimæ Parentis pectore innocentiam hausit, totam in illo ætatis, & virtutum lubrico sic tenuit, ut si eremo alta con ereтur. Constitit proinde, virtuti magnæ ubiq; solum patere, nec eadem esse, matris sinum, censoremq; patris oculum, & innocentiam effugisse. Hærebat ille Regio lateri, sed neq; à sanctitate morum recessit. Dubitatum itaq; est, an regia Hispanica speciosius aliquid promereret, quàm esset innocentia Ludovici. Equidem augustal illud, cæli faciem mentiebatur cùm omnia metallis arderent, quasi astris: nitèrent aulæis, tanquam paratu sidereo: totius aulæ impetus ita se effunderet, ut non

tam

tam palatium videretur, quàm comp endium palatiorum, imò thesis quædam mundi politioris. Sed vastius erat Aloysii pectus ad excipiendam omnem probitatis familiam, exquisita supellectili animus exornatus, animusne,| an regia virtutum? Neq; adsciticiis in decus egebat crepundiis: ornat se ipsam probitas, atq; ut gemmæ conchis evolutæ pulchriùs nitent; sic innocentiæ candor tantò venustiùs emicat, quantò magis à quæsitis aliunde ornatibus non secus, ac involucris se expedivit. Qui animũ studiosiùs comit * *claro sese deformat amictu.* Non latebant ea Ludovicum, ideo quantum licuit, fortunæ illustrioris fucum detersit. Purpura illi potior, quàm sibi tinxerat pudor ingenuus, vel cruor flagris, aliàs calcaribus eductus; cerussa; pallor ex inediis, nec non asperitate vivendi: libertas maxima, licentiæ jura imponere, neq; affectibus humanis obsequi: delicium; voluptates virtuti inimicas exstinguere: majestas; omnem pompam fastidire. Perspicax est aulicorum oculus: Aloysius terram duntaxat, quam despexerat, aspicere dignabatur; aliàs ne Augustæ quidem vultum oculo delibavit. Quod magis admirer, vulgares etiam tra-

† Claud: in Eutr: l. 1.

mites, viasq; ædium ignorabat; ne curiositas mentem à cæli amoribus dimoveret.

Dum ista memoro, dum cætera prætereo, quibus fasti ingentes jam tument, non meritò innocentiæ principatum Ludovico tribuamus? atq; penes Iuvenem unum innocentiæ sceptra relicta esse fateamur? Hæc ille ut màgis consequeretur, principatui Castilionis, quem sibi jure natalium sors detulerat, nuntium remisit. Nec deerat, qui sanctitatem propositi labefactare, & spiritus generosos infringere, niteretur. Credebatur in domesticum nomen delinquere Ludovicus, omnemq; gloriam Gonzagarũ præpostera pietate corrumpere, nec viribus convenire, nec natalibus, quod meditaretur; tandem inconsultè duram eligi, cùm posses via molliori ad cælos eluctari. An enim virtus maxima, & felicitas summa perenni divortio diffideant? an in aula, magnisq; fortunæ viribus incorruptus sit portentum? Nisi fortè Constantinum, & Henricum ab imperio, Ludovicum, & Stephanum è regia præcipitet quis ad infernum.

In Myrmidonem pleriq; tela hæc volatura existimabant; sed Gigantem reperêrunt, cui tam expeditum esset ardua perficere, quàm pronum velle. Magna itaque contentione vocis, majore animi con-

ſtantiâ detonuit. Avida eſt arduorum „
virtus, nec cogitat quid paſſura ſit, „
ſed quò tédat: quoniam & ea, quæ ge- „
neroſiùs tolerantur, ſunt pars gloriæ. Mi „
les vulnere gloriatur, læſuſq; caſu San- „
guinem oſtentat, & vulnere ſuperbit. „
Magis ſpectatur qui ſauci9 ex acie, quàm „
qui integer redit. Proinde nolo virtu- „
tem, quæ mollior ſit, quanquam & am- „
bigo, an mollis eſſe queat. Interim „
concedam libens, ex aulis quoq; , ſtra- „
tiſq; delicatè toris iter ad ſuperos pate- „
re. Virorumne ſemita hæc ? Heroes „
mihi veſtigia conſignârunt ad cælos ; „
heroas ſequar. Abeant tramite roſis in- „
ſtrato pueri, abeat genus, quodcunq; non „
virorũ eſt; abeant, qui ſexum virilem in- „
ter mollia perdiderunt, & quorum amo- „
res nihil meretur, quod non ſit volupe; „
mihi ne virtus quidem arridet, ſi rideat „
tantùm, neq; ſit ardua: pariter cælum „
vulgare videtur, ſi vulgari paſſu adea- „
tur. Gonzagarum (aitis) nomen in- „
ter honores adoleviſſe? honorem ego „
maximum judicavi inſultare fortunæ, ti- „
tulos, & quidquid ambitioſum incum- „
bit capiti, pede proterere. Addo, ſi „
majores inter pompam, atq; ſplendores „
decorum erat nutriri, non erit ſpecio- „

„ ſum hoc quoq;, ſi è Gonzagarum ſtir-
„ pe emerſerit, qui etiam contemnat il-
„ luſtria? ſic diſcet orbis experimento,
„ non deeſſe Familiæ huic, & qui gerant
„ ſumma, & qui aſpernentur. Eſt demum
„ prudentiæ, tutiora inveſtigare, ubi ſuo
„ cardine ſe vertit ſalus. Qui civiliū rerum
„ æſtus devolvuntur? quàm diverſæ vices
„ poteſtatis, per turbines, & tempeſtatē
„ exeuntis? ubiq; mare naufragiis infame
„ æſtuat, ſolam in abdito vitā malacia pe-
„ rennis componit, vel ſi qui fluctus huc
„ etiam irrepſere, facilè ſubſidunt, dormi-
„ untq;, neq; tempeſtas lacerat eos, qui-
„ cunq; rate hac provehuntur. Dictis ac-
ceſſit flagrorū & calcarium ſævities, quibus dum ſe oppugnat, expugnavit Patrem. Exuit itaq; togam ſerico, & auro divitem, ut communium locò veſtimentorum, virtutem indueret, novumq; Aloyſium

Ampliſſima hæc Auditores, & quæ trabeatam innocentiam in faſtigium uſq; virtutis extulerant: tamen rudimenta ulterioris, quam inter nos exegit, vitæ. Nemo poterat Aloyſium virtute ſuperare; ſuperavit ſemetipſe. Quamobrem dum exactos hactenus dies expendere libebit, cogitate equidem innocentiæ principatum, ſed quaſi terrenum. Dum expendemus Religionis annos, quos ego intactos cogitationi veſtræ relinquo, animo effingite inſtar unius è Principibus, quos cæleſtium Geniorum aula habet.

D I X I.

INDEX RERUM
Partis Secundæ.

Duel.

Inno-

Ludus

Natura

Sermo-

T.

Time-

Ad M D. G. SS. OO. Venerationem.